Ex Libris

Casimiri Szczepański Rectoris Ecclesiæ de Parochiæ Lagovtensis

Anno 1834.

Liber [illegible]

Liber [illegible]

Perfecta Anno 1844.

Mathias [illegible]

[illegible] 1801.

THEATRVM S. CASIMIRI.

IN QVO IPSIVS PRO-
SAPIA, VITA, MIRACVLA,
& illuſtris pompa in ſole-
mni eiuſdem apotheoſe-
os inſtauratione, Vilnæ Lithuaniæ Me-
tropoli, V. Id. Maij, Anno Dñi
M. DC. IV. inſtituta

graphice proponuntur.

In memoria æterna erit
iuſtus. Pſal: CXI.

Editum ibidem, eodem anno, operis Typographicis
Academiæ SOCIETATIS IESV.

In stēma S[mi] Regis Sigismundi III.



Hinc bellator eques, Iouis armiger inde maniplum,
REX SIGSMVNDE. tuum, fortis vterq́, tegit.
Ales inoffenso respectans lumine solem
Cœlicolas, Proceres armaq́ signat eques.
Relligio Superis, te Fasq́ Piumq́ Dynastis
Conciliat: populi commoda merges habet.
Perge placere Deo, populo, Rex, atq́ Dynastis,
Sic tuus & frugi merges & vber erit.

SERENISSIMO AC POTENTISSI-
mo Principi & Domino D. SIGIS-
MVNDO III, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci
Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Li-
uoniæ ꝑ, &c. &c. &c. nec non Suecorum, Gotho-
rum Wandalorumq; Regi hæreditario, Prin-
cipi Finlandiæ, &c &c Domino Dño
Clementissimo, F.

Delatum ex vrbe Vilnam vsq;, Rex Serenissime, insigne tum D. Casimiri imagine, tum Pontificia benedictione labarum, vti nomine tuo exciperem, ritu solemni deferrem, & sacro tumulo præsentarem, mihi commendaras, negotium vti propter Vicariam operam perhonorificum, ita propter operis sanctitatem per quàm iu-

cundum: nec deerant, qui acuerẽt studium, & vel torpentem excitarent, varij potẽtesq; stimuli, quos Diui, quos tua, quos mea suggerebat persona. inter hos eminebant negotii grauitas, præcipientis authoritas, affectus erga vtrumque obsequẽtis. Num autem, vel meo desiderio, vel aliorum expectationi, vel tuæ voluntati responderit conatus, conatui successerit euentus, id alienæ submitto censuræ. mihi id vnum exploratum est, etsi cætera defuerint, studium certè & contentionem quâ tibi parẽdi, quâ Diuo placendi non defuisse. Itaq; vexillum, quod reddeba-

tur,

tur, accepi, prætuli, defixi, qua frequentia, quo ordine, qua pompa in subiecto theatro contemplari licebit. id cuiusdam viri docti opera laboratum & ad me delatum prælo subiici mandaui. Historiam breuem D. Casimiri suo authore non ignobilem, annecti curaui. Hoc namq; visum est necessarium, siue ad Diui famam latius propagandam; siue ad multorum desideriis satisfaciendum, vt omittam mutilam nonnullorum, quæ hic describuntur, sine illius notitia, fore cognitionem. Hæc omnia tibi, Rex potentissime, vt mei muneris integra apud te constet

ratio, transmitto dicoq; non tam mea industria (vix eam pertenuem agnosco) quàm Diui, materni tui Patrui, totius Lithuaniæ tutelaris præcipui, veneratione commendata. Viue fœlix, æternùmq; regna.

Sacræ ac Serenissimæ Regiæ Maiestatis vestræ

fidelis seruus

Leo Sapieha Mag: Duca Lith: Cancellarius.

Author Lectori.

PEscennium Imperatorem, cuidam diserto viro longam ipsius encomiorum instituere seriem apparanti, apud Ælium Spartianum, dixisse reperio, vt sui exornandi supersederet operæ, potiusq; laudes Marij persequeretur, aut Annibalis res præclarè gestas referret, aut cuiusuis alterius Ducis optimi vitâ functi commemoraret facinora. Huius rei causam non aliam subintulit, quàm vt esset eiusmodi, sibi ac posteris vitæ instituendæ norma, esset effigies, virtutum præstantissimarum depicta coloribus, in quam vniuersi suos defigerent obtutus, & sese ad eius imitationem conformarent. Certè ad quos Diui Casimiri, Maiorum nobilitate clarissimi, vitæq; sanctimoniâ celeberrimi, peruenit fama, eorum omnium quâ cogitatione sæpenumero hanc Pescennij postulationem versatã, quâ sermone vsurpatam fuisse, certò mihi persuadeo, existeret vt aliquis, qui sibi hanc amplam ac frugiferam prouinciam, vitæ illius omnibus ornatæ virtutibus proprio mandandæ volumini deposceret. Hanc ergo non inuitus, verùm libens ego, pro mea erga Diuum Casimirum veneratione, assumpsi: conatusq; sum si non facultate, certè voluntate maxima, eius mores ac virtutes, & quæ viuentem ipsum in cœlo, in nostris etiam mentibus ac scriptis nunquam mori sinunt, quæque mortem eius illustriorem semper reddunt miracula, ceu in tabulâ quadam hoc volumine proponere. Qua in re præcipuè Illustrissimum ac Reuerendissimum in Christo Patrem ac Dominum Zachariam Ferrerium Vincentinum, illius ætatis Gardiensem Præsulem, & ad Regnum Poloniæ, Magnumq; Ducatum Lithuaniæ Legatum Apostolicum sum secutus, qui scilicet Sanctissimi iuuenis memoriæ consulens, eius præclara facinora, anno millesimo quingentesimo vigesimo in ordinem redegit, typisq; mandari fecit. Ita quidem præfatum Antistitem sum secutus, vt penè germanum ipsius hoc in genere pium opus (iniuriâ temporum iam obliuioni datum) è tenebris in lucem, paucis immutatis edendum censuerim, quo

Lector intelligat non à me excogitatas Diui laudationes, sed certis comperta authoribus, qui aut viderunt ipsi, aut ab iis qui viderant acceperunt, egregia illius facta scriptis esse commissa. Est autem quod hunc meum licet perexiguum laborem probet, est quod dignum iudicet, Sancti huius nomen & famam omnium temporum recordationi consecrari. Ecquid enim? illine quorum vitam Valer: Max: & alij attigerunt, Suetonius adumbrauit, Plutarchus expressit, cum hoc Diuo in comparationem venire possunt? minimè, & tamen iniuria omnium sæculorum censeretur, si illis politicarum virtutum luminibus, scriptorum inopiâ caruissemus, magnisq; & multis emolumentis posteritas, quæ his mirificè excitatur, fraudaretur. Quare Diuum omnibus illis tum Ducibus & Regibus tum Imperatoribus illustriorem in tenebris delitescere, longè fuit iniquius. Dignior ille, & multis parasangis dignior, qui omnium monumentis celebretur, quem in Album Diuorum omnium, digito Dei ascriptum colit & veneratur Ecclesia, cuius etiam miraculorum frequentia ipsa indies fit illustrior. Et quamuis quæ inspiciamus non desint exempla, recentiora tamen & domestica, & mouent facilius, & affectum diutius conseruant. Accedat ergo (te gens Polona & Lithuana compello) accedat inquam ad illos tuos Adalbertos, Stanislaos, Hyacinthos, Heduiges, & Diuus Casimirus, ac vt illos, sic & hunc palmitem stirpis Regiæ nostræ in oculis feramus: ille nos ad virtutem excitet, plus quam olim Themistoclem Miltiadis trophęum excitabat, nec prius quietem obrepere patiamur quàm eius in nobis exemplar expressum videamus.

Gregorius Swiecicki,
Eccl: Cath: Vilu: Canonicus.

GLORIOSISSIMI Confessoris Diui Casimiri vitæ

PARS I.

De eius natalibus, virtutibus & morte.

IMmensa atque inexplicabilis Dei sapientia, quæ habitat in consilio, eruditisq; interest cogitationibus, cuius est æquitas, prudentia, & fortitudo, per quam Reges regnant, Principes imperant, & legum conditores iusta decernunt, sic mundum nostris subiectum oculis gubernat, rebusq; consulit humanis, vt, pro temporum necessitate, viros Ecclesiæ suæ idoneos, sanctimoniæ notis insignes, ac omni virtutum genere conspicuos diuersis sæculis assignet. Ita mundi nascentis exordio, ante legem exaratam, Patriarchas, progressu temporis, ante gratiæ statum Prophetas, demum post filij sui salutarem in terras aduentum, fidei antesignanos & primos sacri Euangelij præcones Apostolos, eiusdemq; acerrimos propugnatores, inuictos Martyres, item optimos Reipublicæ Diuinis à Christo formatæ legibus, præsides ac rectores, tum singulari sapientiâ præstantissimos Episcopos & Doctores, deniq; ex alijs hominibus, multitudinem prope innumerabilem suffecit, qui posteris & rectè vitam instituendi norma, & duces æternæ fælicitatis, capessendæ existerent. Ex hoc postremo numero, vnus est immortalitate dignus inclytæ potentissimorum Regum stirpis Iagellonicæ Diuus Casimirus, quem summa rerum omnium effectoris bonitas tutelarem ac Patronum Poloniæ Lithuaniæq;, veluti quoddam specimen, totiusq; probitatis pulcerrimam effigiem, contemplandum imitandumq; proposuit. Natus is est Cracouiæ, nobili inprimis ac primaria Regni Poloniæ vrbe, anno partæ salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo octauo, tertio Nonas Octob. ipso diluculo. Qui dies, tum victoria, quam Pater eius

Prou: cap. 8. v 12. 14. 15.

Ephes. cap. 4. v 11.

Cromer. lib. 24 non procul à principio. & Striykouius lib 17. cap. 6.

Casimirus

Idem lib. 5. *Casimirus in Prussia de Crucigeris insignem reportauit, Arcemq; Papouiam vi oppugnando cepit, tum Georgij Podiebradij Bohemorum Regis legatione iura amicitiæ efflagitantis, Regniq; Bohemici insignia, eidem Casimiro Regi Poloniæ vltro deferentis fuit illustris. Agebatur iam tunc annus sexagesimus quartus, ex quo Iagello Dux Lithuaniæ bellicosissimus, Olgerdi filius, Gedimini nepos ab Vitenne Romano viro Principe genus ducentium Vrbano Sexto Pontifice Max: Ecclesiæ Romanæ clauum tenente, Christi fidem amplexus, & sacro baptismatis fonte initiatus Wladislai nomen sortitus erat. Hic in Regem Poloniæ electus, ex Sconza (post Maria dicta) Kiiouiensis Ducis filia, stirpem ac spem familiæ, Wladislaum videlicet, post fœlicem progenitoris sui obitum, simul Hungariæ ac Poloniæ Regem & Casimirum, Diui Casimiri (de quo nobis sermo est) Patrem suscepit. Penes quem, dum post immaturum Wladislai fratris decessum, Regni Poloniæ administratio esset, nupta ei Elizabetha Alberti Austriaci Romanorum, Hungariæ ac Bohemiæ Serenissimi Regis filia, sex ei liberos, nimirum Wladislaum, qui Bohemiæ & Hungariæ Rex fuit, deinde Diuum Casimirum, pòst Ioannem Albertum, Alexandrum, & Sigismundum Reges Poloniæ, & Fridericum Tit: Sanctæ Luciæ Cardinalem, Archiepiscopum Gnesnensem partu edidit secundo. Inter omnes Diuus Casimirus, velut inter clarissimas gemmas speciosissimus Carbunculus enituit. Ab incunabulis enim summa cura diligentiaq; educatus, vnà cum lacte ea semina virtutis imbibit, quæ deinceps per reliquam ætatem adhæserunt. Sexennis adhuc puer præclaris moribus, bonisq; literis erudiendus optimis præceptoribus à Parentibus traditus, tantum profecit, vt in omnibus, progressum eius quà oculis, quà auribus accipientibus, non mediocrem admirationem excitarit. Erat in eo rara indoles animi, egregia corporis forma, mores candidi, suaues, sine fastu, quibus assequebatur vt quibus viueretur, carus acceptusq; esset. Certè molliter & in delicijs educatus, diues ac opulentus Princeps, in maxima affluentia rerum, iuuentæq; licentià, præclarâ specie habituq; corporis adolescens, sui potens fuit, & cum transgredi potuerit, non est transgressus, nec mala gessit in vita sua. Labenis huius sæculi glorià contemptà, post aurum non abijt,*

Idem lib. 14. nō procul à fine. Striykouius lib. 9. cap. 4.

Eccl. cap. 31. & 10.

& in

& in thesauris pecuniæ non sperauit. demum hic non habere se ciuitatem manentem contemplans, diuini amoris facibus inflammatus, omne studium ad futuram inquirendam nō manufactam in cœlo conuertit, vbi thesauros nec ærugo, aut tinea demolitur, nec fures effodiunt. Perpetuò autem memoriæ eius inerat diuinum illud oraculum, quod Regius Vates cœleste domicilium adire cupientibus inculcat; nimirum in montem Domini neminem ascensurum, nec quenquam in loco sancto eius fixurum pedem, nisi qui fuerit innocens manibus, & mundo corde, qui non acceperit in vanum animam suam, nec iurauerit in dolo proximo suo. Quamobrem vehementi ille gloriæ perennis æstuans desiderio, vt iucundissimam Beatorum Patriam consequeretur, ad eam regulam omnes actiones suas conformauit, quam præfato oraculo vniuersis vitæ Christianæ sectatoribus præscribi animaduertebat. Nec est dubium, vitam eius omnium virtutum ornamentis conspicuam Regni Proceribus, aliisq; cuiusuis ordinis hominibus, vitæ benè ac laudabiliter instituendæ fuisse exemplar. Vitiorum omnium fuga talis ac tanta in eo fuit, vt etiam quamuis eorum speciem diligentissimè caueret. Proinde luxum vestium, & lecti mollitiem tanquam peccandi fomitem declinans, vti nuda humo pro cubili, & ex horridis equorum setis comparato cilicio, aliisque verberum asperitatibus, velut cupiditatum moderatricibus, teneram carnem, non minus sæpè quàm auidè (Christi cruciatum salutis nostræ causâ susceptorum memor) affligere solebat. Diuis omnibus ac præcipuè Beatæ Mariæ Dei Parenti, benignissimæq; hominum Patronæ maximè addictus erat: quam à se metris singulari artificio elaboratis, & pulchro schemate penè omnia Dominicæ Incarnationis mysteria claudentibus, quotidie, in terram fusis genibus, pio affectu salutabat. Cæteris porro religiosis officiis piisq; ritibus cùm in æde sacra peragerentur, adeò frequens intererat, vt eum sæpius in templo quàm in palatio, sæpius in Patrum linteatorum piorumq; sacerdotum choro, quàm amicorum Regiorumq; aulicorum cœtu videres. Quo tempore sæpenumero à sensibus abalienatus atq; extra se positus, eo animi ardore precibus vacabat, vt cibi atq; potus immemor, nisi sæpius sub prandij aut cœnæ horam, à parentibus missis nunciis, domum corporis reficiendi causâ reuocaretur, to-

Heb. cap. 13. ℣ 14.
Mat. cap. 6. ℣ 20.
Psal. 23. ℣ 4.

A tos dies sine epulis esset transacturus. Sed neq; tamen diurna hac orandi assiduitate contentus erat, nisi etiam intempesta nocte è strato persæpe consurgeret, è cubili se clam efferret, & pedes discalciatus, nullo teste, precandi causa Ædem sacram aditaret. Et quoniam plerumq; (id quod moris est) obseratis ostiis ab ingressu prohibebatur, satis religioni, satis Deo, sibiq; factum putabat, si minimùm sacras valuas salutasset, lacrymis religiosa limina rigasset, atq; hoc pacto in precibus pernox ad fores templi perdurasset. Quo loco sæpissime sub auroram à nocturnis custodibus atq; vigilibus, humi toto corpore prostratus, precibusq; intentus est repertus. B Verum enimuerò parui hanc corporis molestiam æstimans, verè egregius ac sanctus iuuenis adeò in sese ipse sæuiebat, adeò multis in rebus innocentem ac delicatam carnem suam vexabat, vt eum non carnem spiritui subiugare, quod ab

Roman: 8.

Apostolo traditum esse diuinæ literæ perhibent, sed penitus in carne sine carne viuere voluisse putares. Equidem in respuendo & contemnendo blandissimas dominas cupiditates constantissimus, in refrænando omnes illicitæ voluptatis illecebras vigilantissimus, in abstinentiâ à cibo & potu religiosissimus, C in somno cæterisq; rebus eiusmodi atq; carnis commoditatibus parcissimus fuit: adeò in aula regia, non aulicum, aut stirpem regiam degere, verum in claustro religiosæ disciplinæ assuetum Christi athletam vitam instituere arbitrarêre. Ac de hoc rigore vitæ, etiam dum morbi vis eum lecto aliquando affixisset, nihil omnino remittebat. Quadam vice dum à Medicis iuberetur diebus interdictis ab Ecclesia, lacte & similibus, vesci, adduci nullo pacto potuit, vt obsequeretur eorum consilio, & recuperandæ sanitatis gratiâ, vel latum vnguem à sanctissimæ Matris Ecclesiæ placitis desci sceret. Quam tam raram nobilissimi iuuenis, atq; singularem erga Sacratissimam Christi Sponsam obseruantiam, ea est ratione Diuina bonitas remunerata; vt nihil neq; abstinentiæ rigor inualetudinem corporis promoueret, D neq; huius imbecillitas, animi alacritatem atq; perfectæ vitæ studium retardaret. Quippe qui numine reuelante iam didicerat neq; infirmitatem istam menti nocituram, & humana remedia, si quæ essent, necquicquam profutura. Ad hasce eius eximias virtutes, summa quoq; ægritudinis tempore patientia, & dolo-

rum

rum omnium contemptus accedebat. Et quidem semper, siue dum morbo laborabat, siue dum corpore bene habebat, cùm in aliis rebus omnibus, tum precipuè à sermone, & si aliàs esset disertus, modestissimus exstitit. Et verò si loquendum quidpiam erat, id nequaquam faciebat, nisi vel de rebus piis, ac cœlestibus, vel de iis quæ documento aut emolumento cæteris essent, loquendi copiam haberet. Hinc nihil vnquam ipse quod alios offenderet, in colloquium inducebat, & si in aliquem eiusmodi sermocinationibus occupatum incideret, amicè corripiebat, pertinaciter peccantes, etiam seuerioribus verbis castigabat, ac si non à proposito desisterent, vt quamprimum eiusmodi mortales aula regia probiberentur, apud optimum Parentem nullo negotio efficiebat. Huic igitur tantæ nobilissimi & Sanctissimi Principis virtuti, par in Deum religio, in assertorem ac vindicem salutis nostræ Christum fides, in Sanctam Ecclesiam Catholicam & Romanam, orbis Magistram extitit reuerentia. Quarum rerum habemus etiam hodie in Cathedrali Ecclesia Vilnæ luculentum testimonium; diploma inquam illud ipsum habemus, quo, huius impulsu Rex seuerissimè cauerat, ne qui è Gente Russica, ab vnione Catholicæ & Romanæ Religionis desciuerunt Templa vel noua erigere, vel vetustate collapsa restaurare possent. Longum est dicere quot aliis in rebus quamque sollicitè D. Casimirus integritati Religionis atq; Ecclesiasticarum legum obseruantiæ se totum impenderit. Cuius tam singulari industriâ effectum est, vt nullæ eo tempore diuersarum opinionum atq; errorum lernæ capita erigerent, quin confestim vigilantissimi principis acinace demeterentur. Huic porrò tantæ in Deum religioni & caritati, non inferior parte altera in proximum amor & commiseratio respondebat. Quanta enim hic diligentia egentes quosuis ac inopes subleuabat, iacentes erigebat, afflictos recreabat, oppressos liberabat, omnes deniq; quibuscunque aduersæ fortunæ telis expositos iuuabat? Hinc eum viduæ tutorem, pupilli parentem, egeni & afflicti consolatorem vocitabant. Namq; ea erat humanitate in singulos, beneuolentia in miseros, clementiâ in subditos, facilitate in vniuersos, vt vltro si quid à se præstitum vellent, obuios quosuis interrogaret, causas susciperet, ageret, atq; perageret. Qua tam incredibili atq; inusitata caritate atq; prudentia

dentiâ singularem ab omnibus gratiam inibat, & cùm has aliasq; ob res ad Regnum administrandum iudicaretur aptissimus, id non modò non ambiebat, sed etiam à Parente aliisq; Regni proceribus oblatum constantissimè respuebat. Cæterum, ea semper integritate & animi & corporis fuit, vt complures viri grauissimi, qui nobilissimo Principi vel à secretis vel à cubili fuerunt, (vt interim Medicorum spiritualium, quibus ille animæ suæ salutem concredidit, testimonium taceam) constanter asseuerare minimè dubitarent, eum & toto quo vixit tempore castum vixisse, & castum Virginem mortem obiisse. Quod illorum testimonium ipsa mors videtur admirabili quadam Diuinæ prouidentiæ dispensatione comprobasse. Constat enim eum potius vitam, quàm hunc inuiolatæ castimoniæ nitidum florem amittere voluisse. Qua vna in re non solum à Medicorum præceptis, verum etiam parentum suorum monitis, quorum imperio cæteri parebant omnes, vni sibi discedere licitum esse existimabat: Et cùm illi in hoc negotio pertinaciter sese gererent, cùm instantissimè ab eo efflagitarent, vt vitæ tutandæ causa, tori Virginalis consortium admitteret (id enim vnicum Medicorum consilio morbi remedium supererat) illos hic castissimus iuuenis piè increpabat, seq; asserens aliam vitam nescire, quam cum iacturâ eiusdem, vitam mortalem prorogare malebat. Quocirca ingrauescente indies morbo, postquam diem obitus sui præsensisset, eumq; coram astantibus prædixisset, sanctissimus ac verè Regius adolescens armis spiritualibus sese ritè communit, sacramenta inquam quæ morituris administrari solent religiosè percepit, ac demum Christi crucifixi effigiem manu tenens, intentisq; oculis intuens, dum solemnia illa Regij vatis sæpius iteraret verba; In manus tuas Domine commendo spiritum meum, dùm in extrema illa vitæ & mortis lucta precibus lacrymas misceret, voce pariter ac vita deficiente, in Vilnen: Arce, Anno à Virgineo salutifero partu millesimo quadringentesimo, octogesimo quarto, die quarta Martij, illucescente aurora (qui etiam annus Xisti IV. Pontificis Max: vitæ simul & Pontificatus vltimus fuit) æquissimo animo obdormiuit in Domino. Cuius eodem tempore ab omni immunem peccati labe animam, complures fide dignissimi homines à beatis mentibus, in cœlum clarissimâ circumdatam

[Margin notes: Striykouius lib. 20. cap. 5. in fine. — Cromer. lib. 29. in hist. anno 1402. — Psal. 30. ℣ 6. — Mat. Miechou.]

datam

datam luce deportari conspexerunt. Vixit annos viginti quatuor, menses quinque. Sepultus est quàm decuit Regis natum honorificentissimè in sede Pontificia Vilnæ S. Stanislao Martyri sacra, in sacrario Beatæ Mariæ Virginis, quem ipse sibi viuus sepulturæ locum designârat. Erat Sanctissimus iuuenis & nobilissimus Princeps Casimirus staturâ mediocris, cæsariem gestabat subnigri coloris, naso æquali, temperati ruboris, facie venusta & eleganti, incessu graui & ad omnem modestiam composito; ac moribus cumprimis affabilis comisq; vt non obscurè interiorem animi statum exterior oris, vultus, totiusq; corporis habitus & figura videatur prodidisse. Hîc iam, beneuole Lector, eius gloriam & celsitudinem, qua ipsum supremus rerum omnium conditor cumulatissimè decorauit, libeat animo voluere, suspicere, admirari. Qua enim putas iuuenem hunc natalium splendore clarissimum, diuitiarum potentiæq; magnitudine pollentem, virentis adolescentiæ decore floridum, venustate corporis, & mentis sublimitate insignem, eruditione conspicuum, sapientia, probitate, aliisq; omnibus virtutibus ornatissimum, qua inquam putas iuuenem hunc Diuina bonitas gloriæ amplitudine est remunerata? Quia breuem hanc, caducam, & incertam vitam flocci pendit, vitam illi nullis circumscriptam mortalitatis limitibus tribuit: quia inanem mundi fastum contempsit, veram illi in cœlo gloriam donauit, ab exilio illum in patriam euocauit, è naufragio in portum subduxit, labores eius salutis adipiscendæ gratiâ susceptos, perenni dulcissima quiete & mœstitiam, qua Christo in cruce pendenti condolens, sæpe sepius tenebatur, indeficienti gaudio compensauit. Faxit ergo ille animorum parens, vt huiusce felicitatis optatissimæ, huius mercedis, qua nec vnquam haberi nec cogitari amplior potest, capti desiderio, totos nos ad eius imitationem conuertamus, qui & vitæ laudatissimæ exemplo, & ineffabilis præmij magnitudine, coronæ immarcessibilis spe certa, ad sui nos imitationem inuitat.

Vitæ Diui Casimiri
Pars II.

De miraculis per eum post mortem editis.

ETsi quidem nemo fuit, eo etiam tempore, quo huius lucis vsurâ fruebatur Casimirus, qui de eius vitæ integritate, innocentia ac sanctitate dubitaret, eo defuncto tamen incredibile dictu est, quantis eius virtus est & vitæ sanctimonia, ab ipso piorum omnium fidelißimo Agonothete, & remuneratore Deo illustrata prodigiis. Adeò vt difficulter admodum eorum numerus iniri poßit, qui rerum admirandarum famâ exciti, se ad ipsius sacratißimum tumulum recuperandæ sanitatis causa contulerint, ac quæ voluerant recuperârint. Videre hic enim sæpenumero fuit non solum cæcis oculorum vsum, surdis aurium, mutis linguæ, claudis pedum, sed quod mirabilius est, nonnullis, quos malorum extremum mors vitâ & sensu priuauerat, & vitæ & sensus bonum, quasi postliminio, Diui Casimiri ope fuisse restitutum.

Cromer: lib. 2. Matt. Miechouius hist: lib: 4. cap. 73. Iodoc: Ludouic: Decius lib. 2.

1. Nam erat puella Vilnæ Vrsula nomine, quæ superstitibus adhuc parentibus, diem obijt supremum. His mors filiæ adeò molesta accidit & grauis, vt à sensibus penè ipsi alienati, præter communem mortalium consuetudinem, magis de vita filiæ restituenda, quàm de iustis mortuæ soluendis cogitarent. Quo in negotio quid agerent? quò se verterent? Cùm hanc ad rem nulla humana vis aut industria sufficeret, ad diuinam se conuerterunt; atq; vbi primum Diui Casimiri memoria mentem subijt, visi sunt ambo nonnihil respirare. Quid multa? votum faciunt, sacrosancta adyta, vbi quiescebat Casimirus, adeunt, luctu & lacrymis omnia complent, clamore & precibus sydera feriunt, Casimiri numen & nomen ingeminant, opem implorant, spiritum defunctæ filiæ restitui flagitant. Audijt Casimirus precantes, lacrymas piorum parentum ac fidem respexit, puellamq; mortuam vitæ simul ac mœstis parentibus diuinitus restituit.

Addo hoc loco & alterum, quod, & si isto inferius admiratione, ad Casimiri sanctitatem demonstrandam nihilo tamen minus. Etenim anno millesimo quingentesimo decimo octauo, Moschorum Dux, nostris nihil cogitantibus, atq; ex improuiso Arcem Polocensem non paruis copiis oppugnare aggreditur. Quo tempore Sigismundo primo, inclyto Poloniæ Regi, aliis multis grauibusq; rebus intento, miles in promptu exiguus admodum erat, Rex igitur optimus bina solum millia Ductoribus Gastoldo & Ioanne Boratyński aduersus hostes, manum tumultuariam potius quàm exercitum expedit. Abeunt illi diuinis magis quam humanis nixi viribus, præcipuè Diuo Casimiro (quem miraculorum fama celeberrimum effecerat) sua vota postulationesq; dicando et certaminis dubium euentum committendo. Post multis fusis ad eum precibus, numen illius benignum experiuntur. Quippe in illa expeditione, confecto multorum dierum itinere, ad Dunam fluuium perueniunt, vadoq; irreperto, vniuersi in littore subsistũt, dumq; nimium de transitu sunt solliciti, ecce tibi iuuenis quispiam albis amictus, forma decorus & spectabilis, candido vectus equo iis se spectandum obijcit: bonoq; omnes esse animo iubet, seq; ducem sequantur imperat. Quæ vbi dixisset, confestim subditis equo cui insidebat calcaribus, primus in flumen insilijt, vadumq; demonstrans, superatoq; nullo negotio amne, ad ripam alteram saluus cæteris inspectantibus peruenit. Quo viso Poloni milites, rei nouitate attoniti, iisdem in uestigijs diu hæserunt, neque quousque ille iterato, vt se ducem intrepidi sequerentur, commonefaceret, loco mouerunt. Tandemq; rem diuinitus agi animaduertentes, pleni fide & fiduciâ, se cateruatim rapidissimi fluminis, qua parte ille monstrabat, discrimini committunt, atq; incolumes transeunt. Quod cùm Duces, Regiusq; equitatus conspexisset, iuuenisq; interea oculis eorum sese subduxisset, Casimirum Casimirum omnes clamitant, eundemq; quem itineris ducem, etiam prælij imminentis, supplicibus pro se quisq; votis promotorem & fautorem exoptant. Neq; in vanum militum piorum cecidêre preces, Nam cùm primo signo dato in hostes tanto viribus superiores impetum fecissent, illos terga vertere, & obsidionem etiam inuitos soluere coëgerunt, multosq; internecioni dederunt, neq; pauciores in seruitutem

Moschos abduxerunt. Victoria parta Poloni, diuinam opem agnoscere, solemnem hymnum, Te Deum laudamus canere, Casimiri virtutem extollere, remq; Regi simul cum captiuis Moschis diuinitus gestam conscriptamq; transmittere. Quæ adeò Regem commouit, vt non solùm ad Ædem sacram agendarum Dei & Casimiro gratiarum causa se subitò conferret, verumetiam seriam se de Casimiro in Diuorum numerum referendo cogitationem suscepturum promitteret. Verùm quid euenit? isthæc minus sedulò fortasse agente,

III. *En tibi anno insequenti, Moschus superiore clade immanior ferociorq; effectus, ingentem in ipsam Lithuaniam exercitum inducit, omniaq; nullo antè indicto bello, flammis & ferro latè vastat. Quotam periculoso turbine, ac insperata tempestate perculsis Lithuanis, neq; consilium neq; auxilium suppetebat. Cùm alios hostilis gladius è medio tolleret, alios vorax flamma animâ & spiritu priuaret, alios deniq; in miserrimam seruitutem, crudelis hostium barbaries & barbara crudelitas, malè prius mulctatos, abduceret. Hisce rebus animo aduersis, è Lithuanica nobilitate nonnulli patriæ cladem miserati, quotcunq; eo tempore tam difficili poterant, conueniunt, seq; ad arma sumenda, patriosq; lares & focos etiam cum vitæ discrimine, tutandos inuicem incitant. Atq; paucitas quidem suorum, & hostium multitudo nonnihil quosdam initio est remorata: at vbi memoriæ repeterent, quod anno superiori, Diuo Casimiro duce, subsidium diuinitus sub Polocia experti fuerant, eiusdem patrocinio freti, eius opem omnes implorare, quod segnius honorem ipsius curassent, agnoscere, culpam deprecari, se si iis hoc tempore auxilio futurus esset, eius cultum, cœlestemq; honorem apud Sedem Apostolicam diligenter procuraturos, spondere. Nec irrita cecidere vota, nam tantus subitò animos omnium ad pugnam incessit ardor, vt nemo esset, qui temerarium putaret, duo millia (tot enim ex Lithuanis nobilibus conuenerant) aduersus sexaginta millia hostium obijcere. Itaq; signum certamini editur, Lithuani Dei Diuiq; Casimiri numine sæpius ingeminato, pugnam ineunt. Nec mora, vt primum in hostes nostri irruerunt, adest Casimirus, suisq; Dux factus & Archistrategus, in aëre, eodem, quo anno superiore, & oris & corporis habitu sublimis conspicitur. Læti tali duce*

Lithuani, acriterq; cædendo hostes vrgent instantq;. Neq; diu aduersa pars diuinam Indigetis Lithuani vim & numen sustinuit, sed cùm ingens aduersarios pauor inuasisset, in fugam conuersi, victoribus Lithuanis terga dedêre, ex suis amissis pluribus millibus, è nostris, Dei beneficiò, desiderato nullo. Quæ cùm Rex pientissimus intellexisset, eamq; tam prodigiosam victoriam vni post Deum Casimiro, ab omnibus qui rei intererant, adscribi vidisset, cæteras etiam, quas alijs diuersis in locis, eodem tempore, exiguo vbiq; milite, victorias reportasset, fauori & patrocinio eiusdem Sancti Casimiri acceptas referre minimè dubitauit. Quare in gratiarum actionem, re diuina in templo solemni ritu procurata, Rex optimus, nulla interiecta mora, ad Rom: Pont, legationem destinauit, curam vt de Casimiro in Diuorum numerum asciscendo subeat, omnibus modis contendit. Pontifex æquissimis Regis Catholicissimi postulatis non inuitus annuit, remq; Nuncio Apostolico in Poloniam misso, ipsiq; Archiepiscopo Gnesnen: Ioanni, & Petro Posnaniensi Antistiti, Regni Procancellario demandauit. Qui mira omnia opera, Diui Casimiri nutu patrata, diligenter inquisiuerunt, inquisita fide dignis testibus stabiliuerunt, atq; sic stabilita, Pontifici Max: Leoni X. anno millesimo quingentesimo vigesimo transmiserunt. Quibus Pontifex sequenti anno in Augustissimo purpuratorum Patrum consessu, diligenter reuisis, examinatis, tandemq; approbatis, Diuum Casimirum in numerum sanctorum adscripsit. Quē postea Clemens Papa VIII. per totum Poloniæ Regnum & magnum Lithuaniæ Ducatum, aliasq; omnes Prouincias ipsorum ditioni subiectas, duplicis officij ritu, ab omnibus publicè priuatimq; coli & celebrari anno millesimo, sexcentesimo secundo concessit; vt latius in Breui Apostolico de hac re authenticè confecto licet videre.

Sed antequam illud ponamus, in miraculorum serie altius est progrediendum, quò, ex plurium enumeratione, mirabilis prorsus in Diuo Casimiro, Dominus appareat.

Prænobilis Domina Anna Teczynska Comitis à Teczyn filia, Ducis verò Slucensis coniux, cum iam vidua anno vertente millesimo quingentesimo octogesimo, grauissimo dolore capitis vnius ferè anni spatio diuexaretur, nec auxilium, multis medicinis IV.

quæsitum, experiretur, Medicum ei Diuum Casimirum pia quædam fœmina suggessit: paruit illa tam salutari consilio, moxq; opem implorans, argenteum caput, eius quantitatis, cuius erat illius grauiter tunc afflictatum, tumulo Diui deuouit. Vix vota verbis compleuerat, & Diuus omnes procul dolores iam abegerat; corporis quoq; & animi serenitatem, omnium admiratione, breuissimo tempore reduxerat. Memor verò tanti beneficij Domina omnem suam operam in eo

V. posuit, vt quàm optimè, quamq; liberalissimè votum exsolueret.

Eadem Domina, cùm aliquot elapsis annis, ad secundas nuptias Palatini Vilnensis transisset, atq; ex illo filiam Elizabetam suscepisset, morbo correpta est puella, quo ingrauescente, extremam diem, ac penè animam agere deplorabatur; sed votum ad Beati Casimiri reliquias exsoluendum, filiam iam iam morituram, pristinæ valetudini restituit, quæ etiam nunc incolumis, eidem Sancto mirè deuota perdurat. Obtulit verò tumulo pientissima mater gratitudinis & memoriæ ergô, statuam cerea, cuius erat filia quantitatis.

Cùm autem eos, quorum opem & beneuolentiam in arduis per-

VI. speximus, amore maiori complectamur, nec ab illis animum quoquam detorqueri patiamur, adeò nobilissimam hanc Dominam Diui Casimiri merita deuinxerant, vt eum singulare suis calamitatibus concessum, perfugium arbitraretur: nec in opinione delusa est, nam aliquando iterum, longè grauiori dolore quàm capitis vnquam fuerat, intra vbera discruciabatur, adeò vt penè emarcuisse viderentur: tùm illa solitam medici benigni opem voto facto implorauit, atq; cruciatu omni liberata, se pristinæ sanitati restitutam, magna lætitia animaduertit. Extat eius rei monumentum argenteæ tabulæ incisum, atq; Diui Casimiri sepulchro appensum.

VII. Sæpius etiam Nobilis Domina Barbara Leonis N. filia, huius Diui auxilia sensit: anno 1598. graui & diuturno capitis dolore multum afflictata, tandem & ratione destituta est. Hanc ergo Nobilis Christophorus Wolski, coniugali amore victus, ad sacrum Diui Casimiri tumulum (hoc enim vouerat) supplex adduxit, precibus institit, si quod optaret, & è re coniugis charissimæ foret, obtinere mereretur. Aduertit autem Diuus ad preces aures, eademq; hora, ratio-

nis vsu

his visu restituto dolorem dispulit; huius meritis se sanitatem recepisse, & nunc superstes laudibus summis prædicat.

Prædicat eadem & alterum miraculum, anno 1603. Diui operâ præstitum in Prædio Bocki Illustris Domini Andreæ Sapiehæ: cùm enim lignea domus maxima, vbi tùm commorabantur, forte fortuna ignem concepisset, atq; flamma vndequaque è vestigio tectum inuoluisset, nec humanis viribus, aditu omni præcluso, inhiberi poßet, Diuum his verbis deprecata est: Sancte Casimire magne Patrone, & periculorum meorum depulsor, adiuua nos: mox qui ignem libidinum in corpore viuus extinxerat, flammarum etiam globos exutus corpore compreßit, igniq; frenis iniectis, domus integra remansit. VIII.

Iter quoque facienti aliquando, equus charißimus, quia insignior, repentino morbo correptus concidit, peneq; emortuus iacebat, verùm Diui ope implorata, quasi calcaribus stimulatus sese proripit, atq; curriculum sine vlla molestia agilis & saluus exegit. Plurima similium beneficiorum diuinorum, ad inuocationem eiusdem Sancti, sibi collatorum exempla, eadem referebat, quæ breuitas refugit. IX.

Præclarum etiam in hac re est illud, quod Dominus Nicolaus Iasinski Prælatus Vilnensis Regius Secretarius, anno 1600. obtinuit: correptus hic Warsauiæ calida & vehementißima febri, omni quoque consilio medicorum destitutus, Diui Casimiri auxilium implorauit, quo annuente citius pristinam salutem recepit. Extollit hoc beneficium & nunc tabula cum Sancti imagine ad tumulum collocata. X.

Atque aliud quoque est, quod ab eodem in se profectum idem Prælatus celebrauit. Contagio anno 1603. adeo pestilens graßabatur, vt & pecora pestilentiali morbo paßim enecarentur; & quidem in Prædio eiusdem Domini Reple nuncupato; de octoginta, vix decem numero supererant, eaq; iam iam moritura prostrata iacebant, quâ grauiter tali damno permotus, in ea verba prorupit: Sancte Casimire fac tua intercessione, vt hoc residuum conseruetur, ex his quod erit optimum, honori tuo cedet. Gratum Diuo votum accidisse euentus comprobauit, nam continuò contagione depulsa deinceps conseruauit. Prælatus verò fidem voto obstrictam, argentea lampade sepulchro oblata liberauit. XI.

Et quia

XII. Et quia in eo Prædio versamur, quam eodem anno mense Octob: Matthias quidam ibidem ex domesticis famulis dicti Prælati gratiam meruerit consequi aperiemus: is à natiuitate sua ad annum ætatis circiter quinquagesimum mensibus singulis morbo epileptico vexabatur, & tum quidem, quopiam Presbytero præsente, morbo correptus grauissimè allidebatur terræ, diuq; quassus spumante ore iacebat: cuius ille miseriâ motus, diuo Casimiro pro afflicto supplicabat, tantumq; sua fide alteri obtinuit, vt continuò sanus surgeret, nec amplius etiam nunc superstes tantum malum patiatur.

XIII. Accedit ad hæc tria quartum aliquanto maius, quod sibi Romam eunti accidisse narrat. Chronus fluuius ex hibernis niuibus auctior, iuxta prædium Bolecja nominatum, transmittendus erat, dum autem portitores lembos aduerso flumine impellerent, vni præ reliquis in opere strenuo, & impetui fluuij rapidissimi vel maximè obsistenti, contus frangitur, at ille mole corporis inclinante in præceps fertur, atque in profundo miser demergitur, quo casu socij exterriti, ceu viribus destituti, attoniti hærent, nauigijs medio & secundo flumine sine nauclero periculosissimè delabentibus, tum Præfatus D. Nicolaus Iasinski quasi voce adhortantis excitatus, exclamat; Sancte Casimire succurre naufragantibus, reddito viuum qui mersus aquis suffocatur. Itaq; post longum interuallum & temporis & loci, quasi manu ductus, incolumis applicatur nauigijs, quem interijsse plurimum dolebant. Quod miraculum à Diuo Casimiro profectum, eiusdem narratio ostendit: nam à quodam se & ab aquis defensum, & ad naues per dextram pertractum aiebat. Adfuerat verò Dominus Gregorius Swiecicius Canonicus Vilnensis, & alij duo nobiles adolescentes, iisdem Prælatis ab obsequiis, qui commune beneficium omnibus postea prædicârunt.

XIIII. Quin ipsi quoq; Domino Gregorio Swiecicio quidpiam eiusmodi experiri contigit. Nam inter cætera plurima, hoc etiam beneficium sibi à Deo Opt. Max. ad intercessionem Diui Casimiri collatum prolixè testatus est. Anno 1603. cùm ex animi sententia Diui Apotheosi confecta, ex vrbe in patriam reuerteretur, primis diebus mensis Iulij Wenconam inter & Ponteuam Ciuitates Venetiarum, accidit

agasonem

agasonem incautiorem (anteuertentibus iter dicto Canonico, Domino
Ioanne Rudomina, & Domino Nicolao Lubomierski nobilibus) co-
pia rerum satis onustum currum ex rupe altissima euertere, supra flu-
uium subter labentem, vbi spacio vnius penè horæ, vna tantum rota-
rum anteriorum detentus, quasi miraculosè pendulus hære bat, nec vi-
ribus humanis, accessu nullo existente, subleuari poterat. Contineban-
tur autem vehiculo illo vexillum benedictum. Officium Romæ im-
pressum Diui Casimiri & aliæ plurimæ imagines, eiusdem Sancti
authenticum, atque adeò totius expeditionis negotia. Et quamuis graui-
ter Canonicus casum ferret, grauiusque exterritus esset, aurigam tamen
ipsum Ioannem baptistam Paduanum, cum socio, adeò rerum omnium
ex præsentissimo periculo amissio perterruit & exagitauit, vt diei na-
tiuitatis suæ maledicerent, humique proiecti præ gemitu ceu lupi vlula-
rent. Sed Diuinâ prouidentia ea accidisse, vt honorem suum curæ sibi
esse Diuus auxilium ferendo declararet, non obscurè colligi potest. Ete-
nim totus de tanto thesauro anxius Canonicus cum socius, quod certius
occurrit & offerebatur auxilium arripuit. Quare conuersus ad Diuum
Casimirum, sic tacitè orabat: Sancte Casimire, tuum ego sæpius in
laboribus, angustiis, doloribus, tentationibus & afflictionibus auxi-
lium expertus, te ego Patronum, fidelem defensorem, singularem con-
seruatorem complexus sum & veneror, succurre nunc afflicto, remo-
ue periculum honoris tui dispendium, memineris tibi vexilli inaugura-
ti. An honorem tuum inter rupes & flumina euanescere facies?
affligetur suauissima Patria, dolebit Vilna, excruciabitur ille honoris
tui author et fautor Sigismundus Tertius Monarcha Poloniæ; succurre
afflicto, remoue periculum, prospera iter: sic orabat & auxilium
præstolabatur. Ecce autem iuuenis habitu Italico, albis vestitus, in
altissimis illis montibus & saxis, quasi illac iter instituisset, comparu-
it, tum simul ac hærentes contigit, nec requisitus nec à quoquam ro-
gatus, vltro currum verbo nullo adstantibus facto subiit, eumque (hunc
postea in æquo spacio euersum difficulter octo viri eleuauêre) arte mira-
bili, ipse præruptæ adhærens rupi, erectum omnibus rebus saluis, terræ
restituit, ac iterum tacitus omnibus attonitis iter prosequitur, post
medium verò stadium ad eos conuersus, hæc Italico idiomate dixit:

bene valete, gratiæ me vestræ commendo. Refert autem idem Canonicus ante ea verba, ita mentem suam admiratione quadam perculsam fuisse, vt nec coniectari de illo quidquam, nec loqui illi valuerit: omnes quoque qui aderant mente recepta, non hominem sed cœlitus quempiam subsidio venisse vno ore locutos, proinde ocyus gradu concito ad eum properandum esse, & gratias illi maximas habendas. Sed frustra; etiam diligentissimè quæsitus non est visus amplius; & famulus Canonici Christophorus Wielowski, qui duobus stadiis & amplius præcesserat, nec ei periculo interfuit, angustissimo illo itinere neminem prætergressum constantissimè affirmauit; nec alia via aut semita quâ elaberetur inueniebatur, à sinistris, præcipitium altissimum in fluuium rapidissimum minabatur, à dextris, eminentissima petra ascensum omnem præcludebat. Quis hic non crediderit illos, vt referunt, grauissimo dolore afflictos: graue fuit tanto benefactori loqui non potuisse. qui solatij ac felicitatis messem vberiorem attulerat; sed vt oculi discipulorum in Emaus euntium, ne Dominum cognoscerent, tenebantur, sic horum mentes ligatæ quem præsentem intuebantur non cogitabant.

Maximum verò momentum ad illius gloriæ incrementum addit,
XVI. quod iam dicemus. Anno 1603. Quidam Presbyter Ecclesiæ Parochialis Vilnensis beneficiarius, homo frugi & religiosus, grauius in famulum propter delictum quoddam animaduertebat: itaq; cingulo coriaceo eum castigans, forte fortuna in oculi pupillam fibula impulsa, eam eruit, ac sensim copia humoris exstillante, intra biduum totus exaruit. Grauiter eo casu perterritus est Sacerdos, & diligentiæ quidem in Chirurgorum operis conquirendis nihil desiderabatur, sed longè grauius malum erat, quàm quod arte emendari posset. Vltimum ergo præsidium inclyti Confessoris opem constituit, atq; voto facto, adolescentem oculo cassum aræ admouet, Deoq; ipse sacrificans, eundem epulo cœlesti communit, vix ter sacrificium ex voto obtulit, & adolescens visum perfectissimè recepit.

XVII. Eodem quoque anno 1603. Vilnæ peste (cuius supra meminimus) vehementius ad nonas Nouembr. grassante, cùm in Claustrum Fratrum Minorum de obseruantia Regulæ Sancti Francisci eius calamitatis

mitatis flamma incidisset, atque octodecim eius Ordinis Professos, praeter alios nouem, qui eidem Monasterio famulando, suam nauabant operam, absumpsisset, non prius ea extincta est, quàm Diui Casimiri spe ac votis praesidium imploratum sit. Superior ergo Monasterij, post multas lacrymas, vigilias, & preces, se suaeque curae commissos omnes Sancto Casimiro penitus deuouit. A quo tempore, lues atrox omni deposita saeuitia, ex illo Conuentu nec morti quenquam dedit, nec ad aegritudinem perduxit. Quare ad maiorem Dei gloriam, & ad cumulatiorem Patroni Sancti Casimiri honorem, idem Superior, eximij in se suosque collati beneficij gratus, vota sua suorumque ad eiusdem Sancti sacras reliquias exoluens, laminam cum rei gestae inciso testimonio appendit anno salutis 1604. die Ianuarij 5.

Et quia intra hosce quatuor annos, alia plurima ex relatione fide dignissimorũ hominum, Diui huius accepimus miracula, ne prolixitas fastidium pariat, quaedam tantum breuiter sunt perstringenda. Horum igitur hîc tantum mentionem faciemus, qui aegritudinum suarum Diuum Casimirum depulsorem suomet ore confessi sunt, & grati animi ergô, tabellas argenteas, vel picturatas, miraculorum argumenta ad eius sepulchrum appenderunt. XVIII.

Anno quidem 1600. Reuerendissimus Dominus Nicolaus Pac Suffraganeus Vilnensis grauissimo dolore capitis est leuatus: Magnifici D. Alberti Rakowski Castellani Viznensis filius, qui diuturno afflictatus morbo, iacebat morti proximus, periculo est exemptus, & pristinae sanitati restitutus. D. Gaspar Ostrowski à febre, Dominus Paulus Maysewicz Parochus Widzen: graui pectoris morbo liberatus. XIX.

Eiusdem, sed longè grauioris febris (cui nullae medicorum artes opem ferre valebant) Diui Casimiri suffragiis meruerunt curationem Generosus & Nobilis Dominus Petrus Pac Capitaneus Mścisławiensis, & Hieronymus Iáblko Ciuis Vilnensis anno 1602. XX.

Anno 1603. Dominus Albertus Iarczewski à paralysi, D. Sophia Wlodzinska, Katharina Kiersnowska, Elizabetha Karwacka & Anna Gudzietewska à contagiosis ac penè incurabilibus febribus sunt liberati. XXI.

Anno 1604. D. Ioannes Gesiorowski, Iustina Ostrowska, XXII.

Antonius Masso, cùm liberos suos doloribus confectos, Diui Casimiri tutelæ commendassent, per eius intercessionem, vitam illis & perfectam sanitatem à Deo obtinuerunt.

XXIII. Quo in genere, memorabile in sanato suo filio Nobilis Dominæ Piasecka, Capitaneæ Gieranonensis, Diui Casimiri prædicat beneficium. Iam enim filius omnibus destitutus sensibus agebat animam. Hunc mater quia vnicè diligebat, dolore ardens, in genua procubuit, & vbertim manantibus lacrymis, Diui Casimiri opem implorauit: supplicationi votum addidit, plurimum in beati Confessoris benignitate spei reponens. Et spes nequaquam eam fefellit: mira res, repentè æger ille quasi reuiuiscens, apertis oculis, liberius iam meante spiritu, valetudinis impetratæ signa dedit. Nec mater illius in persoluenda fide moram fecit, votiuam peregrinationem cum filio instituit, gratijsque Deo & Diuo Casimiro, ad ipsius sepulchrum auidè & impensè actis, vota alacres gaudio soluerunt.

XXIV. Petrus quidam Sutor Vilnensis, quinto decimo abhinc anno, lumine primùm dextro, deinde elapsis octo annis, etiam sinistro orbatus erat: tribus autem his lustris, sedulò tum orationibus, tum oblationibus, sepulchrum Diui Casimiri frequentabat, cuius meritis visum sibi restituendum confidebat. Verùm diu dilatam gratiam tandem Deus præpotens protulit: ipso enim die quo benedictum illius labarum solenni pompa ad Diui tumulum est deportatum, senio iam penè confectus in dextro oculo visum recepit, quod miraculum apud multos fide dignissimos viros est confessus.

Illam quoq; idem sanctus laureolam beatorum CHRISTI
XXV. BONVS ODOR SVMVS, vt in vita sic hisce temporibus sibi à Deo concessam declarauit: Mense enim Augusto, qui quartus ab eiusdem Triumpho numerabatur, die decima sexta, cùm Sacrum illius corpus, per R. D. Gregorium Swiecicium Vilnensem Canonicum, summa in nouam tumbam reuerentia deponeretur, nouo miraculo hospitium nouum consecrauit: leni imprimis sed suauissima aura adstantes afflati, mox latius miræ odoris fragrantia est diffusa, triduoq; deinceps perdurauit. Sed & nocte eiusdem diei fulgore insolito, per fenestras visa est locum diuo sacrum ingredi, eundemq; cum tumulo totum conuestiuisse.

uestiuisse; vnde Sanctorum illum gloriâ esse circundatum, manifestè est comprobatum. Sed hæc infra in Authenticis tabulis latius enarrata reperies.

Cæterùm hîc quoq; non sunt omittenda tria insigniora miracula, quæ eo ipso tempore, quo hæc typis mandabantur, accidêre; Tenebatur grauissima febri Nobilis Domina Tryznina Coniux Succamerarij Slonimensis, Soror Magnifici Domini Pauli Sapiehæ, quæ breui tempore adeò corpus illius debilitârat, vt ægrè spiritum & vitam traheret, multiq; de eius salute conclamatum dicerent: grauis proinde mœror omnes peruaserat, animisq; collapsi moriture lectulo circumfusi stabant, præsentiâ ægrè anhelantem recrearent. Interea deficiente natura, diuinum auxilium quidam exposcendum inclamant, commemorant Diui Casimiri merita, hortantur se illi voto obstringat. At illa compertam aliâs Diui Casimiri opem habens, illum inuocat, precibusq; votum addit, si compos sanitatis fiat, se sacras eius reliquias inuisuram. Concepto voto, dolores subsidunt, redit vigor membris, somnus cum placida quiete succedit, illucescente autem luce, maiori admiratione omnium & gaudio, salua & incolumis Diui beneficium prædicabat, votumq; primo quoq; tempore compleuit. XXVI.

Alterum est sed multò admirabilius. Mulier quædam, à viginti duobus annis incubum miseranda seruitute passa, frustra omnia tum humana, tum diuina remedia adhibuit, nec enim precum, ieiuniorum, voluntariæ vexationis corporis, deniq; Sacramentorum vsu à maligno spiritu poterat liberari. Verùm cùm eam calamitatem Sacerdoti cuidam de Societate Iesu aperuisset, is vt ad Diui Casimiri auxilium & patrocinium confugeret, suasit. Res mira, cùm de more hostis humani generis ad solitam suæ nequitiæ palæstram rediret, inclamante muliere Diuum Casimirum, magno ille cum furore, & ianuæ strepitu profugit, nec deinceps molestus ei extitit. XXVII.

Sequitur tertium genere dispar, euidentiâ par. Fœmina quædam (igne sacro vt vocant) adeò grauiter in pede conflictabatur, vt per se incedere haud quaquam valeret. Igitur vt ne latius malum serperet, ex Chirurgorum sententia, pedis sectione, occurrendum erat. Commodum autem accidit, vt expiandis confessione peccatis, idem Sa- XXVIII.

cerdos Societatis Iesu adduceretur, qui consolatus ægram, & multa de Sancti Casimiri numine ac ope præfatus, autor illi extitit, vt voti religione Sancto Casimiro sese obstringat, fore vt rectius omnia quàm speraret euenirent. Nec fefellit prædictio, simul vt votum nuncupauit, dolore pedis est leuata.

Hic demum mihi, lector beneuole, colophonis loco nonnulla addenda videntur, quæ nimirum relatu dignissima sunt, & quibus Diui apotheosis facta est illustrior.

XXIX. Primum autem offert se illud admiratione dignissimum. Cùm VII. Idus Maias Labarum Sanctitatis Diui Casimiri insigne, ex Vrbe allatum, præter infinitam vulgi multitudinem, magna Cleri, Religiosorum, Magnatum, hominum opinione ac famâ celeberrimorum frequentia, ad tumulum eiusdem, præclaro apparatu & triumpho deportaretur, Ciconia (ea enim auis post varia indicia & coniecturas cognita est) nulla prædæ nidique vicinitate detenta, leniter pennis auras verberans, vrbi toto ferè tempore, quasi gratulabunda impendebat. Mouit ea res non parum homines, cumque frequentibus ac diutinis circumuolantis auis gyris oculi eorum tenerentur spiritu quasi fatidico sic interpretabantur: Hæresim inquiunt (auem ab officio notantes) extirpabit. Vt enim colubris est in insidijs ciconia, hortosque & prata ab ijs expurgat, sic Diui Casimiri ope hydras hæresum ex hac prouincia expurgatum iri ominabantur. Fuêre etiam alij qui interpretati sunt, elinguem auem notare, elingues in criminando Diuo Casimiro obstreperos hæreticos esse oportere. Verùm hoc illudue significari non contendimus, sed tam insolitum spectaculum nihil portendisse, omnino veremur affirmare.

XXX. Sequitur alterum, sed quantò magis optatum, tantò euidentius & apertius miraculum. Induerant tristem & grauem mortalibus globi cœlestes vultum; induerant, nec multis diebus exuerant, siue natura sic volente, siue mortalium culpa sic exigente, nec tàm imbrium vehementia & copia, quàm temporis diuturnitas admirationi erat quo penè totus Oceanus defluxisse videbatur. Dies interea Diui Casimiri triumpho dicatus instabat, dolor verò grauis Primates exercebat, qui quàm maximè verebantur, quòd eum quem tantopere procurassent

tassent Diuo honorem, toto ferme Ducatu, Clero & Magnatibus euocatis trophæis erigendis, cœli inclementia disturbatura esset. Verum tàm pios conatus, & indigetum & aduenarum promouit Diui clementia, voluit siquidem adesse communi gaudio, quos sui causa nouerat aduenisse. Nox diem excipit, diurnam nocturna pluuia consequitur, spes labant, consilia humana deficiunt. At Diuus Casimirus auroram placatam ostendit, excitat collapsos animos, inclarescit clarum mane, roseum iubar sol aureus mundo exhibet, nubes rumpit, dissipat, fugat; itaq; tota die tanta cœli clementia vna Vilna (nam extra aliquot stadia imbribus replebantur omnia) ad vesperum vsa est, vt vel solam illam aëris benignitatem, cœlitus concessam, satis esse posse arbitrarentur ad Diuum omni laude cumulandum.

Inter hos magnos & excellentes viros, qui Triumphum Diuo Casimiro egêre, connumeratur etiam Illustris & Magnificus Dominus Ioannes Carolus Chodkiewicz, Comes in Szklow & Myß & Bychow, Regni Poloniæ Senator, Samogitiæ Capitaneus, qui contra Carolum Sudermannum præliaturus, feliciter Præfecturam militarem ab inuocatione Dei Opt: Max: inprimis, & deinde Diui Casimiri auspicatus, non nisi romphæâ ad Aram eius consecrata, ad castra descendit. Romphæam quidem illam Illustrißimus ac Reuerendißimus in Christo Pater & Dominus Benedictus Woyna Præsul Vilnensis, verbis ritè conceptis inaugurauit. Et quoniam Diuina tunc res peragebatur, post augustißimi Corporis Dominici sumptionem, gladium Dei munus Præsul ipse obortis lacrymis, ad altaris crepidinem prouoluto Dynastæ in manus tradidit, illud identidem inculcans, vt Diui Casimiri ope ac patrocinio fretus, in aciem securus descenderet, vt Opt: Regis perduelles, patriæ inimicos profligaret. Ea res animum in hostem maximè inflammauit, & circumfusæ vniuersæ multitudini dulces lacrymas excußit. Itaq; accidit, vt certamini signo dato, ad arcem Kokenhausensem, plus Diui Casimiri auxilio quam loricæ fidens, ferrato abiecto amictu, dextro præterea ad cubitum denudato brachio, primus in hostem procurreret. Nec defuit interim acerrimè dimicanti Diui præsidium: gladio enim illo hostiles omnes ictus à se auertit, & magnâ hostium edita strage, sospes à suis est receptus.

XXXI. (margin)

2. Paralip. 15. v. 16. (margin)

Is etiam

XXXII. *Is etiam hoc anno 1604. eadem fœlicitate vsus, cum non magna militum manu, de cæsis rebellium, in Liuonia ad Album Lapidem, tribus & amplius millibus, captis vexillis 21. tormentis 6. & vna petarda, insignem victoriam reportauit: quem sua prælia præliantem Dominus exercituum porrò felicitet omnes boni comprecantur.*

EPILOGVS OPERIS.

HAbes ergo, Lector beneuole, vitam eximij Confessoris leuiter adumbratam, habes virtutum omnium miræq; Sanctitatis propositum exemplar, habes quod admireris, habes & quod imiteris. An non admirabilis eius vita, mores, conuersatio, religio in Deum, pietas in parentes, amor in proximos? Quid ipsa mors. quid integritas & mentis & corporis tot miraculis comprobata? ea profectò sunt quæ admiremur, quæq; imitemur. Admiremur miraculorum donum eximium: imitemur vitæ integritatem. Illud non semper proficit ad salutem: in hac nisi quisq; pro sua virili excellamus, perpetuo à spe salutis & patriæ cœlestis possessione excidemus. Imitemur proinde in tanta sublimitate, animi demissionem, in honoribus proprium contemptum, in delicijs voluntariam afflictionem. Accendamur feruentibus & frequentibus eius orationibus, exardescat in nostris precibus diuinus ignis quo ille, inflammatum pectus gerebat. Hunc carnis & mundi turpes vincendi illecebras, hunc, omne penitus vetitarum cupiditatum extinguendi incentiuum, exemplum nobis statuamus. Cum illo, Reges & Principes iustè, fortiter, & sapienter regnent: cum illo, excubent præ foribus templorum patresfamiliâs: ab illo, vniuersi primùm quærere regnum Dei addiscant. Sed præcipuè Adolescentes, illum ante signanum suæ militiæ contueantur & imitentur, virtutem ipsis propriam, virginitatis inquam decorem cognoscant & adament: ad quam eos incorruptæ carnis Diuo Casimiro concessa laureola, & canticum quod agnum sequentes cantaturi sunt inuitet. Quid verò vniuersa Lithuania? aspiciat exemplar, quod ei ostensum est, & secundum hoc faciat, intueatur lucernam in candelabro positam, atq; vt suæ Sanctitatis splendore, Diuus Casimirus vniuersam illustrauit Ecclesiam, sic

um, sic illa iustitiæ operibus, cunctis præluceat gentibus, atque omnes quæ in diuo eluxêre virtutes tanquam hæreditarias foueat & conseruet. Per hunc facinorosus ex flagitiorũ cœno emergat, per hunc à vinculis peccatorum sese liberet, per hunc veteres inimicitias & inueterata odia deponat, per hunc denique si fœdus cum inferno pepigit, rupto illo, Dei sese mancipet obsequio. Ac inprimis eidem bonorum omnium largitori Deo, quod et in omnibus calamitatibus ac ærumnis Diuum Casimirum, quasi quoddam asylum in media natione constituit & erexit, gloriam, honorem & laudem viuenti decantet, in secula seculorum Amen.

Testimonium Authenticum.

Cuius supra num: XXV. fit mentio.

Ex commissione & mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini D. Benedicti Woynæ, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopi Vilnensis. In mea Notarij publici, testiumque infra scriptorum præsentia: Reuerendus Dominus Gregorius Swięcicki, Artium & Philosophiæ Magister, Ecclesiæ Cathedralis Vilnensis Canonicus, monumentum Sancti Casimiri Confessoris, Magni Ducatus Lithuaniæ Patroni, in præfata Cathedrali Ecclesia situm aperuit, Corpus Sancti Confessoris, post centum viginti duos annos, ex quo cõditum constat, vnâ cum veste rasi serici rubra, qua contectum & inuolutum est, integrum & solidum repertum, odore miræ suauitatis, per totam Ecclesiam fragrante, omnes tam Presbyteros, quàm sæculares interea temporis in præfata Ecclesia Diuinis vacantes abundè refecit. In quo Diuina potentia admiranda elucet, quæ in humido loco (ita quòd præ nimia humiditate, testudo monumenti corrupta, ferè nudis manibus operariorum dissolueretur,) per tot annorum seriem, in odore suauissimo, Sanctum suum conseruare dignata est. Triduo quo sepulchrum Sancti Confes-

foris, ob debitum honorem, & maiorem reuerentiam Sacrarum reliquiarum accomodabatur, & deinceps sequentibus, eundem odorem pleriq; mortalium, sacram ædem deuotionis ergô frequentantium sensêre. Tres adolescentes de nomine, Ioannes Pauli, Stanislaus Beywid vterq; Vilnensis, & Iacobus Gregorij Grodnensis, studiosi Scholæ Cathedralis Vilnen: tacto pectore, bona fide & conscientia, recognouerunt, quòd media nocte eius diei, quo Diui sepulchrum apertum fuit, magnam & insolitam claritatem, ad sepulchrum Beati Casimiri resplendentem, & per fenestras Sacelli sese effundentem, attoniti conspexerint, ita quòd etiam præ lætitia lacrymabundi, Dominicam orationem flexis genibus recitauerint, eundem splendorem etiam nocte subsequenti se vidisse asseruerunt. Eadem fide & conscientia honesti, Petrus Peregrinus, ex Lombardiæ ciuitate Souatia oriundus, & Stephanus Simonis, de bonis Regalibus Rakonciszki, ambo muratores, quibus negotium reserationis sepulchri commissum erat, recognouerunt se eundem penitus odorem circa hanc posteriorem reserationem sensisse, quem ante sesquiduos annos, in aperiendo ex mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini loci ordinarij sepulchro, perceperant. Acta sunt hæc Vilnæ, die Lunæ, decima sexta Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quarto, Indictione secunda, Pontificatus SS. D. N. Clementis Diuina prouidentia Papæ VIII. anno decimotertio. Præsentibus tum circa eiusmodi actum, Admodum Reuerendis Dominis Ioanne Ryszkowski Archidiacono, & Nicolao Iasienski Cantore, præfatæ Ecclesiæ Cathedralis Prælatis, nec non Honorabilibus viris, Nicolao Korzeniewski Parocho in Niemenczyna, Sacra Apostolica authoritate publico Notario, atque Alberto Pniewski, eiusdem Cathedralis Ecclesiæ Vicecustode, testibus fide dignis, ad præmissa specialiter rogatis & requisitis.

Et quia

Et quia ego Martinus Kwaszowski, Sacra authoritate Apostolica, publicus, & Venerabilis Capituli Vilnensis Actorum Notarius, prædictis sepulchri reserationi, accommodationi, recognitioni seu attestationi, omnibusq; & singulis præmissis, dum ita (vt præfertur) agerentur & fierent, vnà cum prænominatis testibus præsens interfui, eaq; omnia sic fieri vidi, audiui, percepi, & ipsemet inspexi: ideo præsens hoc publicum Instrumentum exinde confeci, eiusq; exemplar hoc extradidi, scripsi, subscripsi, & Notariatus mei solito Symbolo consignaui, rogatus & requisitus.

BREVE APOSTOLICVM:

Super celebratione diei festi Sancti Casimiri Confessoris, à fælic. recor. Leone Papa decimo, Canonizati, sub duplici ritu secundùm communes Rubricas Breuiarij & Missal: Romani.

Clemens Papa VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Quæ ad Sanctorum, in quibus Deus laudabilis est, venerationem augendam pertinent, ea nos libenter concedimus, cùm præsertim Regum piorum, & aliorum Christi fidelium vota id exposcunt, ac alias in Domino salubriter conspicimus expedire. Supplicationibus igitur pro parte charissimi in Christo filij nostri Sigismundi Tertij Poloniæ &

Suetiæ Regis, Illustris nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac ex voto Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, super sacris ritibus & ceremoniis deputatorum, Vt in vniuerso Poloniæ Regno & Magno Ducatu Lituaniæ, ac omnibus Prouincijs illis subiectis, dies Festus Sancti Casimiri Confessoris ex Regia Iagellouiadûm Poloniæ Regum Stirpe, qui à fæl. rec. Leone Papa decimo prædecessore nostro, in Sanctorum numerum adscriptus fuit, ab vniuerso tam sæculari quàm regulari Clero, ac tam Publicè, in Ecclesiis, quàm priuatim, sub duplici ritu iuxta Rubricas Breuiarij Romani, cum infra scriptis orationibus & lectionibus proprijs, ab eisdem Cardinalibus Congregationis Sacrorum rituum examinatis & approbatis celebrari possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis quodq; dies festus huiusmodi in Kalendario & Breuiario Romano adscriptus non sit, cæterisq; contrarijs quibuscunq;.

Officium autem huiusmodi de S. Casimiro Quarta Martij sic celebrabitur.

Oratio.

Deus qui inter Regales delicias intactum à mundi illecebris spiritum Sancti Casimiri confessoris tui conseruasti, fac quæsumus, vt tui fideles ita in tuo amore firmentur, vt & terrena despiciant, & ad cœlestia semper aspirent. Per Dominum nostrum, &c.

Reliqua omnia de communi Confessorum non Pontificum per vtrasque vesperas & horas, Antiphonæ, Hymni, Versus, Responsoria.

Lectiones primi Nocturni de libro Sapientiæ.

Iustus si morte præoccupatus fuerit, &c. cum reliquis, de communi Confessorum non Pontificum.

Lectiones vero secundi Nocturni sequuntur.

LECTIO QVARTA.

Sanctus Casimirus, Patre Casimiro Tertio Iagelloniade Rege Poloniæ, matre vero Elizabetha Austriaca, Alberti Romanorum Imperatoris filiâ, religiosissima fœminâ natus, pueritiam & magnam adolescentiæ partem, sub optimis præceptoribus in literarum disciplinis, & studio virtutum exegit. Vbi autem eos adolescentiæ annos attigit, quibus vt plurimum cæteri voluptati indulgere consueuerunt, mox sensibus & corpori suo frenum continentiæ iniecit, iuueniles artus duro cilicio & assiduis ieiuniis extenuando, lectique regalis abiecta mollitie in nuda humo cubando. In more etiam positum habuit, intempesta clam nocte Sacras ædes adire, atque ante ipsarum vestibulum, posita in terra facie, diuinum numen exorare. In diuinæ vero passionis contemplatione, vir Dei feruenti ac indefesso mentis studio versabatur, tremendoque Missæ Sacrificio ita attentus, & mente in Deum erectus intererat, vt extra se plane rapi videretur.

Lectio Quinta.

SErmo ipsi, aliàs disertißimo, parcus & modestus, isque potißimum de virtutum excellentia, Dei laudibus & proximorum in turpi vitiorum cœno volutantium, ad saniorem mentem & vitæ puritatem reductione, Catholicæ religionis feruentißimus promotor extitit. Schisma Ruthenorum abolere studiosißimè contendit. A Patre quippe suo Casimiro ferri legem fecit, vt ne Schismatici noua templa exstruant, neue extructa vetustate collabentia restaurent. Egenis, Viduis, pupillis & oppressis, nunquam defuit: ideoque nomen sortitus erat patris, & defensoris à fortuna humiliatorum. Virginitatem denique ab incunabulis planè vsque ad extremum vitæ spiritum integram intemeratamque seruauit. correptus enim graui ægritudine mori potius, quàm castitatis & pudicitiæ iacturam de medicorum consilio subire constantißimè elegit.

Lectio Sexta.

DIem obitus sui diuinitus præcognouit, morboque inualescente, sumpto sacro Viatico, perendie, prout prædixerat ipse sibi astantibus sacerdotibus & viris religiosis, animam purißimam carnis vinculo solutam in manus omnipotentis Dei commendans reddidit, ætatis suæ anno XXV. cuius corpus Vilnæ in Ecclesia Cathedrali conditum honorificè quiescit. Post eius mortem exercitus Lithuanicus exiguus numero, ob subitaneam & insperatam Mosci potentißimè instructi irruptionem voto facto, Beato Casimiro, apparente ipso in aëre quasi Duce præuio, de hoste, ad internecionem deleto, victoriam insignem reportauit. Puella Vrsula nomine mortua Vilnæ à parentibus ad sepulchrum Sancti oblata vitæ superstes primæ subitò facta est. Multi præterea cæci visum, claudi gressum, & infirmi sanitatem, ad ipsius intercessionem receperunt, inque hodiernum diem recipiunt, monstrante Domino singularem sui famuli sanctitatem. Hunc Leo Papa X. in numerum Sanctorum retulit.

Lectiones Tertij Nocturni, de Homilia; *Sint lumbi vestri præcincti, &c. vt in communi confessorum non Pontificum.*

Nona lectio. *De Homilia feriæ occurrentis cum commemoratione Sancti Lucij Papæ & martyris.*

Missa

Missa de Sancto Casimiro.

OS iusti meditabit sapientiam, &c. *cum reliquis de communi confessorum non Pontificum, & non Abbatum, præter proprias de ipso orationes, quæ sequuntur.* ORATIO. *Deus qui inter Regales delicias, &c. vt supra.* Secreta. *Suscipe misericors Deus, hæc tuæ plebis obsequia, & cœlestia munera expectantis petitiones propitius exaudi. Per Dominum nostrum.* Post communionem. *Cœlesti alimonia satiati ad te Domine cuncti confugimus, vt qui multorum criminum pondere premimur, per Sancti Casimiri merita ad te leuemur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, &c. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris die septima Nouembris. M. D. CII. Pontificatus nostri Anno vndecimo.*

M. Vestrius Barbianus.

ZACHARIÆ VICENTINI EPIscopi Gardiensis Hymni de Sancto Casimiro ex Regibus Poloniæ in Primo vespere.

LÆta iucundo resonare cantu
Si decens vnquam fuit ora, nunc est;
Quum tuus viuit generosus heros
Sarmata cœlo.
Roma quæ sancto numero aggregabis
Iure perspectæ probitatis illum
Plaudito: cuius decor ampliatur
Frigida ab arcto.
Terra, quæ brumam patitur rigentem,
Et caret phœbi radio calente
Sentit accensum boream superni
Sydere amoris.

Nempe, cui clarum genus, & propago
Regia, exurgens Casimirus ignem,
Quo calet frigens aquilo ministrat
Æthere ab alto.

Ignis est virtus animosa: per quam
Mens in authorem calefacta summum
Nil nisi mundam cupit & beatam
Degere vitam.

Ille vix primam tetigit iuuentam,
Quum voluptates renuit caducas,
Et Deum cœpit studiosus omni
Quærere nixu.

Est Deo patri, genitoq; dulci,
Ac paracleto imperium perenne:
Qui sub æterna paritate, & vno
Numine regnant. Amen.

SAPPHICUM MEDIA NOCTE.

Nox silens horas tribuit quietas
Carmini & sacræ modulationi.
Ergo cantetur Casimirus amplo
Stemmate cretus.

Regij quanquam fuerint parentes:
Inclytum culmen tamen è supremis
Antea longè ducibus recepit
Litalianis.

Namq; vulgari serie loquendi
Qui petierunt ea tecta clari
Nomen heroes Itali dedere
Gentibus illis.

Et licet quisquam à litui frequentis
More contendat Lithuaniamq;
Stare, nil obstat: pia gens, & alta
Sanguine Romæ est.

Hinc

Hinc ortus quondam Casimirus, vltro
Fascibus spretis opibusq; auitis,
Clausit excelsis meritis, & almo
Funere vitam.
Præcocem mortem intrepidus subire
Maluit, quàm se maculare luxu:
Vnde victricem meruit referre
Æthere Palmam.
Est Deo Patri, genitoq; dulci,
Ac paracleto imperium perenne:
Qui sub æterna paritate, & vno
Numine regnant. Amen.

SAPPHICVM IN AVRORA.

SVrgit auroræ nitor, & latentem
Delium sensim manifestat: vt tu
Carne deposta Casimire celsum
Scandis olympum.
Concrepent dulces citharæ, & sonoræ
Fistulæ æquatis vicibus: choraules
Carmen adiungant, Italusq;. & omnis
Sarmata plaudat.
Omnis oblitus modò tu doloris
Magne vir cœlo frueris quieto,
Et supra mundum melioris auræ
Lumine gaudes.
Maior est longè tibi nunc corona,
Maior & sceptri tibi celsitudo,
Quàm supra terras dominando posses
Obtinuisse.
Sic potens es tu patriam tueri
Nunc tuam: ne gens inimica fines
Eius inuadat, generiq; nostro
Insidietur.

Sic potens es tu resecare diras
Hæresum sectas: quibus inuoluta
Magna pars huius populi obligatur
Ignibus atris.
Pelle de nobis Casimire pestem
Hanc tuis ergo precibus trahendo
Ad pium Romæ gremium cateruas
Schismaticorum.
Est Deo patri, genitoq; dulci,
Et paracleto imperium perenne:
Qui sub æterna paritate, & vno
Numine regnant. Amen.

IN SECVNDO VESPERE SAPPHICVM.

NOx redit terris abeunte phœbo,
Et tuis mandat Casimire finem
Laudibus poni modò (namq; fessa
Carmine lingua est)
Mira quæ fiunt hodie frequenter
E tuis membris, referunt patenter
Qualibus præstas meritis in alto
Culmine cœli.
Si tuum nomen petat, & iuuamen.
Redditur languens sine spe salutis.
Claudus incedit: videt impetrato
Lumine cæcus.
Surdus auditum recipit: loquelam
Mutus; arreptus Styge liberatur:
Mortui vitæ (noua res, & ingens)
Restituuntur.
Sic suam Christus dedit esse notam
Sarmatis per te dominationem:
Qua polo, & terræ, residiq; auerno
Imperat omni.

Sit Deo patri, genitoq; dulci,
Et paraclito imperium perenne:
Qui sub æterna paritate: & vno
Numine regnant. Amen.

Epitaphium Diui Casimiri.

Regia progenies iacet hîc Casimirus auito
Stemmate, & excelso virtutum culmine clarus.
Ille Deo spretis opibus, rebusq; caducis
Se dedit, & gaudet semper victurus olympo.
Cessit ab humanis in primo flore iuuentæ.
Quisquis ab aduersa premitur valetudine, vota
Det tumulo, subitò à morbo sanabitur omni.

ELOGIVM.

Olim Lithuanis Mauors, lituiq; decora
Nunc Casimirus gloria, Stirpis honos.

ALIVD.

Mars Litauis lituiq; olim decora alta fuêre:
Nunc decus omne sed es, Dvx Casimire, tuis.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS Casimiri, Serenissimi Regis Poloniæ nati, oratio quotidiana, per eundem composita.

OMni die dic Mariæ
Mea laudes anima:
Eius festa eius gesta
Cole splendidissima.
Contemplare & mirare
Eius celsitudinem,
Dic felicem genitricem,
Dic beatam Virginem.
Ipsam cole vt de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.
Hæc persona nobis dona
Contulit cœlestia.
Hæc Regina nos diuinâ
Illustrauit gratiâ.
Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ.
Quæ inflictum maledictum
Miro transfert genere.
Sine fine dic Reginæ
Mundi laudum cantica.
Huius bona semper sona,
Semper illam prædica.
Omnes mei sensus ei
Personate gloriam,
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certè tam disertæ
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos
Eius excellentiæ.
Omnes laudent vnde gaudent
Matrem Dei Virginem.
Nullus fingat quòd attingat
Eius celsitudinem.
Nemo dicet quantum licet
Laudans eius merita.
Eius cuncta sunt creata
Ditioni subdita.
Sed necesse, quod prodesse
Pijs constat mentibus,
Vt intendam quod impendam
Me ipsius laudibus.
Quamuis sciam quod Mariam
Nemo dignè prædicet,
Tamen vanus & insanus
Est qui eam reticet.
Cuius vita erudita,
Disciplina cœlica,
Argumenta & figmenta
Destruxit hæretica.
Huius mores tanquam flores
Exornant Ecclesiam:
Actiones & sermones
Miram præstant gratiam.
Euæ crimen nobis limen
Paradisi clauserat,
Hæc dum credit, & obedit,
Cœli claustra reserat.
Propter Euam, homo sæuam
Accepit sententiam.
Per Mariam habet viam
Quæ ducit ad patriam.

Hæc amanda & laudanda
Cunctis specialiter,
Venerari & precari
Decet illam iugiter.
Ipsam posco, quam cognosco
Posse prorsus omnia,
Vt euellat, & repellat
Quæ sunt nobis noxia.
Ipsa donet, vt quod monet
Natus eius, faciam,
Et finita carnis vitâ
Lætus hunc aspiciam.
O cunctarum fœminarum
Decus atque gloria,
Quem probatam & elatam
Scimus super omnia.
Clemens audi, tuæ laudi
Quos instantes conspicis,
Munda reos, & fac eos
Bonis dignos cœlicis.
Virga Iesse, spes oppressæ
Mentis & refrigerium:
Decus mundi, lux profundi,
Domini Sacrarium.
Vitæ forma, morum norma,
Plenitudo gratiæ,
Dei templum, & exemplum
Totius iustitiæ.
Virgo salue, per quam valuæ
Cœli patent miseris:
Quam non flexit, nec allexit
Fraus serpentis veteris.
Gloriosa & formosa
Dauid Regis filia,
Quem elegit Rex qui regit
Et creauit omnia.
Gemma decens, rosa recens,
Castitatis lilium,
Castum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium?
Actionis & sermonis
Facultatem tribue,
Vt tuorum meritorum
Laudes promam strenuè.
Opto nimis vt inprimis
Des mihi memoriam,
Vt decenter & frequenter
Tuam cantem gloriam.
Quamuis muta & polluta
Sciam mea labia,
Præsumendum non silendum
Est de tua gloria.
Virgo gaude, quia laude
Digna es & præmio:
Quæ damnatis liberatis
Facta es occasio.
Semper munda & fæcunda
Virgo tu puerpera.
Mater alma, velut palma
Virens & fructifera,
Cuius flore vel odore
Recreari cupimus,
Eius fructu nos à luctu
Liberari credimus.
Pulchra tota sine notâ
Cuiuscunque maculę,
Fac nos mundos & iucundos
Te laudare sedulé.
O beata per quam data
Noua mundo gaudia,
Et aperta fide certa
Regna sunt cœlestia.
Per quam mundus lætabundus
Vero fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Offusus caligine.
Nunc potentes sunt egentes,
Sicut olim dixeras,

Et egeni fiunt pleni,
Vt tu prophetaueras.
Per te morum nunc prauorum
Relinquuntur deuia,
Doctrinarum peruersarum
Pulsa sunt vestigia:
Mundi luxus atque fluxus
Docuisti spernere:
Deum quæri, carnem teri,
Vitijs resistere.
Mentis cursum tende sursum
Pietatis studio.
Corpus angi, motus frangi
Pro cœlesti præmio.
Tu portasti intra casti
Ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformes pristinum.
Mater facta, sed intacta,
Genuisti filium,
Regem Regum, atq; verum
Creatorem omnium.
Benedicta per quam victa
Mortis est versutia,
Destitutis spe salutis
Datur indulgentia.
Benedictus Rex inuictus,
Cuius mater crederis,
Qui creator ex te natus
Nostri salus generis.
Reparatrix, consolatrix
Desperantis animæ,
A pressura, quæ ventura
Malis est nos redime.
Pro me pete vt quiete
Sempiternâ perfruar.
Ne tormentis comburentis
Stagni miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro
Mea sana vulnera,
Et da menti te poscenti
Gratiarum munera.
Vt sim castus & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius:
Eruditus, & munitus
Diuinis eloquijs,
Beatus & ornatus
Diuinis exercitijs.
Constans, grauis, & suauis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus & maturus,
Comis & affabilis,
Corde prudens ore studens
Veritatem dicere.
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere
Esto nutrix & adiutrix
Christiani populi.
Pacem præsta, ne molesta
Nos perturbent sæculi.
Salutaris stella maris
Salue, digna laudibus:
Quæ præcellis multis stellis
Atq; luminaribus.
Tua dulci prece fulci
Supplices & refoue.
Quicquid grauat, & deprauat
Mentes nostras, remoue.
Virgo gaude quod de fraude
Dæmonis nos liberas:
Dignum verâ & sincera
Deum carne generas.
Illibata & ditata
Cœlesti progenie,
Grauidata, nec priuata
Flore pudicitiæ.

Nam, quod eras perseueras,
Deum intacta generas:
Illum tractans atque lactans
Per quem facta fueras.
Mihi mœsto nunc adesto,
Dans perenne gaudium:
Dona quæso nimis læso
Optatum remedium.
Commendato me beato
Christo tuo filio.
Vt non cadam, sed euadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem: pelle litem
Compesce lasciuiam.
Contra crimen da munimen
Et mentis constantiam.
Nec me liget, nec fatiget
Sæculi cupiditas
Quæ obscurat & indurat
Mentes sibi subditas.
Nunquam ira nunquam dira
Me vincat elatio,
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum vt cor meum
Tua seruet gratia:
Ne antiquus inimicus
Seminet Zizania.
Da leuamen & tutamen
Tuum illis iugiter
Tua festa siue gesta
Qui colunt alacriter. Amen.

Lege fœliciter memor nostri.

Hæc Oratio per quendam Christophorum zlothkovvski fratrem, Anno Domini 1498 ex codicibus D. Casimiri (vt idem frater ibidem testatur) in publicam tabulam relata, ad sepulchrum reperta est.

Oratio

Oratio Maronæa de S. Caſimiro.

O Pater ô hominum Diuûmq; æterna poteſtas,
Qui Caſimiri animum præſenti numine firmas,
Aulaï in medio Regali & ſplendida luxu
Intra tecta, trahens, falſa inter gaudia, vitam,
Dulcibus illecebris ſtet vt illi intacta iuuentus,
Poſcimus, æterno quibus es deuinctus amore,
Et tua ſancta fides cœli quibus annuit arcem.
Vis in amore tui nobis firmetur ab aſtris,
Semper vt hîc vigeat viresq; acquirat amando.
Quæ bona vulgus amat, leuia & ludicra putemus:
Manſuras vt opes animo affectemus Olympi,
Per te, per Natum, per Amorem vtriuſq; perennem.

Paulus Symonowicẑ.

POMPA

POMPA CASIMIRIANA

Siue

DE LABARO

D. Casimiri, Casimiri Regis Poloniæ &c. F. Iagellonis N. M. D. Lith: Principis &c. A Leone X. Pontif: Max: in Diuos relati, ex vrbe transmisso, & Vilnam Lithuaniæ Metropolim solenni pompa, ad 6. Idus Maij, Anno M. DC. IV. illato,

QVIRINI CNOGLERI AVSTRII

Sermo Panegyricus.

Ecclesiast: 44.

Sapientiam iustorum narrent populi, & laudem eorum nuncient Ecclesiæ.

S. Ambros: Serm: 6.

Quisquis honorat martyres, honorat & Christum; & qui spernit sanctos, spernit & Dominum.

Maximus Serm: de natali SS. Octauij, Aduentoris & Solutoris mart:

Cuncti martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi, quorum reliquias possidemus.

IOANNI PISTORIO NIDANO, eximio in Germania viro, SS. THEOLOGIAE, ET VTRIVSQVE IVRIS DOCTORI, Eccleſiaſtica dignitate perilluſtri.

QVIRINVS CNOGLERVS AVSTRIVS V.

QVIS tu es, inquis, qui me alloqueris ab extremo vſq; Septentrione, à frigidâ Lithuaniâ? De me ſanè non iniuriâ tu quæris. Potuit namq; vel locorum diſtantia, vel temporum intercapedo tuum tibi eripere QVIRINVM. Sin autem Lithuaniam cogitas, videſis ne parum rectè, addo parum verè appelles frigidam. Potuit frigere illa, & frixit certè, cùm vanis operata gentium Diis Percuno fecit & Pergrubio: cum conſitos arte lucos, ſelectas vanitate arbores, coluit: cùm quid ineſſe numinis ſerpentibus credidit, & neſcio quibus monſtris: Potuit tepere illa & certè pluſquam tepere, cùm hæreſibus iactata, Saxonicam deguſtauit loton, bibit Lethen: cùm lentum Circes Geneuenſis, cùm aliarum Strigum, potauit venenum. Non conſector ſingula, ne, quod vulgatum habet prouerbium & eſt maleuoli, videar vnâ manu panem oſtendere dum laudo, quæ ſunt; alterâ lapidem occultare, dum vitupero, quæ fuerunt: quanquam quid ni vituperem & omni verborum

acerbitate notem? Fuerunt enim non tam Lithuaniæ partus genuinus, quam externæ colluuiei abortus monstrosus. alia iam facies est, alius color. quæ frixit, calet; ardet, quæ tepuit, feruet, æstuat. Quid censes? à laudantibus esse illa ardere, feruere, æstuare? noui, diu iam est, cùm illud in eos iactatur, Lapidem è sepulcro pro Deo: & illud alterum, Ex cloaca arcem. At sic habe, tantum abesse, vt exaggerandæ rei illa sint, vt ne exprimendæ quidem sint, ad præstationem, quod dicitur. hoc scribo, quò & ita legi volo, non quasi fucum à laudatore, sed quasi sententiam à iuratore. Ita quippe ardet, ita feruet, vt prope tanti fuerit frixisse, tepuisse. Bona nostra, ait ille, carendo potius intelligimus quàm fruendo: & amore eorũ quæ adsunt capimur, quæ absunt tabescimus. Hoc Lithuaniæ fit. Habuit Lithuania Christum, quem habuerit, quid habuerit, tum sensit, cùm perdidit per hæresin, perditum ardet, perditum quærit, de perdito tabescit, languet. Turtur cùm comparem suum amisit, attentissimâ diligentia arbores, ædes, foramina, hiatus, flumina, fontes, intima extima quæq; loca rimatur, vt eo potiri possit, eo frui; ni potiatur, ni fruatur, vitæ potius quàm gemitui ponit modum. quid expectas? turtur hic Lithuania est: nihil illi clausum est, nihil inuium, omnia perrumpit, omnia obit, omnia scrutatur, vt iungatur Christo suo, sponso suo, deliciis suis. hunc vt comprehendat, currit cum Isaia ad Sion; ad Israel cum Dauid, ad desertum cum Ioanne. at quomodo currit? vt nec Isaias concitatiùs, nec Dauid contentiùs, nec Ioannes indefessiùs. hunc vt inueniat, quærit cum Maria in templo, cum Magdalena in sepulcro, cum Thoma in latere, cum turba in monte, ad mare. at quomodo quærit? vt vix circumspectiùs Maria, attentiùs Magdalena, exquisitiùs Thomas, diligentiùs turba, quid multa? quærit vt inueniat, in ciliciis, in virgis, in laceratione corporis, in squalore, in lacryma, in planctu, in oratione, in vigiliis, in ieiuniis. ô ardorem quærentium! o feruorem! quæ sic quærit absentem, præsentem inuentum quomodo putas tractat? quomodo? nisi, exemplo ipsius, ipsum lingit infectum in Lazaro, operit nudum in Ioanne, docet rudem in Centurione, pascit esurientem in Petro, tecto fouet eiectum in Iona, lauat sordentem in Apostolis, vt multa conferam in vnum, quicquid hæretici, arreptis ex triuio & circulis pullatorum conuitiis, Sacramento penè contendunt esse Ecclesiam Romanam, id totum Ecclesiam Romanam non esse abunde vna euincit Lithuania Romanè Catholica: religiosè illa, sed sine macula superstitionis, piè:

pia

pia sed sine simulationis integumento syncerè: sancta propè dixerim, sed sine iactantiæ nota submissè. miraris? sed miraberis minus, si cogitabis, Regem habere SIGISMVNDVM. Præsulem BENEDICTVM WOYNAM. Nosti, quantum habent momenti ad subditos vel imbuendos religione, vel peruertendos impietate, eorum, qui cum potestate sunt exemplum, vt, qui se comunt, ad speculum fingunt faciem: ita qui subsunt, ad eorum, qui præsunt, mores componunt vitam, quid igitur? Sardanapalus, quòd flueret luxu, frangere deliciis bellatricem quiuerit Assyriam? Nero, quod aurigandi infami studio teneretur, insano munerum, ad lora, ad esseda, ad rotarum sufflamina, Fuscos; ad fuscinam, ad sicam, Gracchos transdare: Domitianus, quòd ei politulum videbatur, quod in turpissimis erat ante, comam in gradum frangere, vibrare calido ferro, ad calamistra & discernicula abijcere Romam potuerint? Rex noster SIGISMVNDVS, præsul noster BENEDICTVS quod verâ pietate & Dei cultu nihil habent antiquius, ad hunc excitare Lithuanos suos, ad illã concitare non poterunt? excitant verò & concitant, imò his omnibus, quæ dixi, ornamentis, quantum possunt Lituaniam vel colunt exemplo, vel cumulant beneficio. quanquam quomodo possunt non posse? Caput cùm integrum est, facilè sui humoris integritatem in reliquum corpus traducit et quasi spargit. at Rex noster ita caput est, vt nullum integrius. Pastor cum vigilans est, facile ouem continet ne erret, ne in præcipitia abeat. at BENEDICTVS noster ita Pastor est, vt nullus vigilantior, non potest luxuriare in labruscas vinea, cuius solum diligens vinitor inuertit, pastinat; vites putat, statuminat, palmites castigat. non potest ager horrescere sentibus, quem cum cura colit, runcat, sarrit agricola. Non possunt Lithuanorũ aut mores dissolutè fluere, aut mentes impietate syluescere, dum illos, tanq̃ luxuriantes pampinos, legibus, veluti falce, recidit rex SIGISMVNDVS: has tanq̃ noxias herbas elidit doctrina veluti sarculo Præsul BENEDICTVS. O si liceret mihi magis hæc sigillatim persequi, & gradum figere, in hoc quem leuiter tantum insisti campo, efficerem profectò tanquam quæ obeuntur aspectu, videres non in Ambrosiis id & Augustinis, nec enim necesse est abire tam longè: non in Stanislais nostris & Adalbertis, nec enim opus est etiam hos aduocare: sed in Benedicto, hoc est, domi nato testimonio, quantum intersit Ecclesiæ caput habere non turpitudinis & infamiæ maculis, veluti humorum vitiosa illuuie

illuuie ad suo statu mouendum corpus reliquum perniciose infectum: sed vitæ & religionis integritate, veluti apto & ad æquabilitatem interfuso sanguine, ad continendas in vigore suo subiectas partes vtiliter coagmentatum. Nam de Rege nostro SIGISMVNDO quis nescit? qui ita nobis sanctissimos illos, a quibus sanguinis trahit originem reddit maiores suos S. ERICVM Sueciæ, S. CANVTVM Daniæ reges: S. RAGNILDIN, & quam primo loco nominare debui S. BRIGITTAM, non fœminã sed vero verbo heroinam, vt videri possit non tam natus ex illis serie quadam naturæ, quàm in eo renati illi lege quadam Pythagoræ. Rex est, et certè potentissimus. Quâ iuuat reges eunt. Ita facit? at tantum abest vt ad licentiam illi regum præeat viam istud regium, vt si illud rediret tempus, quo non nisi è sacerdotibus legebantur reges, nemo reperiri posset vnus qui simul & regem ageret iustius, & sacerdotem sanctius. Ea pietas est. Princeps est, & sanè summus. Principis illud est, oderint dum metuant. Ita entit? at vnum illud agit, vt re doceat, quanto sit ad imperium tutius diligi quàm metui. talis subditis rex, qualem conceptis verbis optet regem subditus ipse Ea clementia est. Dominus est, & certè maximus. Inuisa paupertas dominatui est. ita cogitat? at tam illi iucundum est commoueri in miseriis pauperum, vt prope pauper velit fieri pauperi, ara & velut asylum omnium qui iniquiori sunt fortunæ vulnere percussi. Ea beneficentia est. Vides S. BRIGITTÆ progeniem vis etiam ERICI, CANVTI? Et Ericus est & Canutus. nisi fortè maius existimas in Erico Finlandorum idololatrarum iustæ quamuis, cruentæ tamen illacrymatum esse cædi, quàm in SIGISMVNDO Suecorum suorum rebellium dignis quamuis, iis grauibus tamen ingemiscere malis; aut in Canuto pietatis propagare regnum, quàm in SIGISMVNDO impietatis excindere tyrannidem. Huc omnes conferre suas curas, omnes in eo velle consumptas cogitationes. O fortunatam natam Lithuaniam SIGISMVNDO Rege, BENEDICTO Præsule, imò planè ô beatam Lithuaniam! Videor enim videre tempus illud quo vitiorum eiectis quisquiliis, hæresum euulsis fibris, prisca iterum pietas & religionis forma, tanquam noua seges Lithuaniæ succrescat. Videor mihi videre illud tmpus, quo si quis non expresso nomine SIGISMVNDVM III. Regem Poloniæ, BENEDICTVM Præsulem Vilnensem velit intelligi, is necesse habiturus sit dicere eum Regem, eum Præsulem qui ita af-

fectæ Lithuaniæ medicinam fecerit, vt omne ab illa hæresum & impietatis venenum profligârit. Quæris quo id argumento? Nonne tibi magnum illud videtur, quòd quæ omnia fulminis instar peruasit hæresis, eò redacta est loci vt videatur vel intercessorem quærere, quod damnatorum est, vel vasa conclamare, quod profligatorum. Quid? quòd magno numero prope quotidie redeunt qui exciderunt per errores ad Ecclesiam, euidentiâ veritatis conuicti; qui per flagitia ad mentem, disciplinæ seueritate adstricti. Etiámne quæris maius? Sunt quidem hæc iudicio meo maxima: tamen ne vel tu dum hæc legis siue Præsulis nostri præclara, siue Regis magna, illud cogites; καρικὰ ἀυλήματα & illud; semper nimij Cares: vel ego ex eorum videar schola discipulus, qui à ratione nudi, illo suo ἀυτὸς ἔφα, emendicent consensum: placet vnum eorum triumphum post natam Lithuaniam maximum & celeberrimum sub styli incudem vocatum, veluti penicillo, cùm exprimere nequeam colore, leuiter ad posteritatis memoriam adumbrare, in quo illos videbis tam magnanimos, vt nihil illi putent terram deuincire beneficentiâ, nisi cœlum ipsum etiam complexi fuerint beneficio.

Casimirus Casimiri Poloniæ Regis filius, Iagellonis nepos, Lithuaniæ Princeps diu iam est cùm plurimis domi forisq; mirandis operibus & suprà hominum conditionem clarus à Leone X. Pontifice Maximo Superis adscitus fuit. Hic partim temporum iniquitate, partim eorum qui negotio procurando præerant è rebus humanis abitu, ad nostra vsq; tempora, qui ei cœlesti iam gloria fruenti debebatur publici cultus luce ferè caruit, & vt sic dicam, latuit. Tametsi is verè non dici potest latere cuius & viui virtutes ad immortalitatis memoriam consecratæ in sermone & ore omnium quotidie versabantur, & mortui admirandæ actiones stupore intuentium animos defigerent: tamen quia summæ virtuti non summus tantum debebatur honos, sed summus etiam quidam in summo honore cultus: voluit SIGISMVNDVS noster Casimiro suo id præstare. Principi Princeps, cognato cognatus, ne videretur latere: & quod solum potest in eos conferri beneficij, qui diuinis bonis super nos positi circumfluunt, sanctos efficere, vt quem cœlum ciuem agnosceret, terra Diuum veneraretur. Perfecit, quod efficere voluit, & missis ad vrbem, religionis sedem, fidei magistram qui peterent, labarum Diui, rei argumentum, tulit. Id quâ pompa quâ solennitate Vilnæ Lithuanorum metropoli sit exceptum hinc dicere aggredior.

gredior. Quæ quidem in re si res magnas videris expressas tenuiter, mihi hoc imputabis; si meam orationem videris excitatam supra suam tenuitatem, adscribes pompæ.

Vix igitur percrebuerat Vilnæ primum de aduentante Diui Casimiri labaro rumor, cum tanta subitò omnium animos obsedit lætitia & vsque eò ad intimos sensus permanauit populi optantis, curantis Senatus, orantium sacrorum ordinum, vt ipsa propemodum tecta, curia, altaria, viderentur loqui Casimirum, illa indigetem suum, ista columen suum, hæc Sanctum suum, quid multa? Tota Vilna gaudium fuit de Diuo suo: triumphus de Patrono. Quo sanè factum est, vt quantò maiorem vrbs tota lætitiæ dedit significationem; tanto acceperit ægrius lætitiæ huius suæ non statim tulisse, quem sperauit, fructum: & datum semel, pompæ non iam proferri, sed extrahi & differri. Est namque ita ferè natura comparatum vt iis careamus molestiùs, in quibus exarserunt studia nostra, & illa si spe præcepta fuerint certâ, irascamur etiam, & tantum non frendamus. Est enim miserum certè cadere de expectatione sua si sit magna, & quod in spe habueris certa, in spe habere ita nulla vt cum spe quasi desperatio videatur confligere. Vnde facile ignosces dolori nostro si subindignaremur interdum & subirasceremur perire illam nobis spem per moram & sustentationem ac veluti euanescere. Nam inter labari primum inferendi famam & labarum iam illatum annus plus minus intercesserat, hoc toto tempore, vt in querelas ingeniosi sumus omnes, quas non fuisse putes incusationes, accusationes? Hic in temporum stomachabatur iniquitatem: erat qui argueret vt lentum & Callipedem eum cui labari fuit procuratio. Quid, inquiebat alius, cùm hinc pestis nos infestet, hinc peste fames nocentior; illinc & hac immanior & illa atrocior hostis distineat, cùm vsus maximè erat, auxilio prohibemur patroni, ope tutelaris. Nam tametsi illud scimus nec circumscribi temporibus, nec definiri locis Dei numen & in Deo sanctorum: tamen & istud nouimus magis sese id certis locis exerere, certis temporibus prodere. Hæ & similes aliæ sic fuerunt querimoniæ, vt ab amore piæ fortassis illæ, vt in rem præsentem, dico liberè, iniustæ. Nam nec temporis fuit aduersantis, hoc enim Sanctis arbitrarium est; nec Labarophori sua negligentis, huic enim nihil erat prius curâ officij, quod protraheretur honori sacro semel præfinitus dies; quanquam & temporis calamitas non parum

subinde

subinde officeret, & Labarophoro non pauca obijcerentur quæ tardarent. Sed Diuinæ fuit prouidentiæ & in spe ponentis primò, & moram deinde trahentis, vt dum mora spei penderent hominum animi incerti, spe moræ magis ac magis honestãdi Sancti studium cresceret. Fuit Sancti non tam coli festini, quàm docere cupidi, quicquid Superi volunt, id velle perfectum & omnibus numeris absolutum. Noluit Casimirus sui arrham labarum Vilnæ succedere autumno aut hyeme cùm sol abderet caput suum, & vel pluuia in lutum omnia cogerentur, vel frigoribus et glacie squalerent: voluit vere cùm sol & terra omnia omnibus commoda aperiunt: cùm ager in flores, arbor in frondes sese induit. Hoc ita fuisse post docuit exitus. Dum enim omnium suspensæ expectatione rei fluctuant mentes, & quasi nutant incertæ, ecce tibi BENEDICTVS Præsul pompæ diem dicit sextum idus Maij, quod nuncium qua mentes omnium lætitiâ reddiderit delibutos quid attinet dicere? In nullo desiderij modo, modus lætitiæ quis esse potest? dum desideramus, ait ille, mouemur aut æstuamus; cũ tenemus, quod desiderauimus, loco cedimus aut conflagramus, Hoc ita habere si vlla vnquã res testatum fecit, hæc sanè fecit vel maximè. Enimuerò si ante hac dubia triumphi spe commota vix apud se Vilna fuerat, nunc profectò certa triumphi expectatione tripudians ne seipsam quidem cepisse visa est: quippe feruebant omnia. Hic florem legit, aut metit gramen, quæ spargat per viam: ille putat frondem, quam figat per compita. alius tapetem promit, alius curat vestem, ligna baiulat dossuarius, concinnat in arcum faber, pictor penicillum expedit, cœlum sculptor, numeros meditatur poëta, flosculos & pigmenta conquirit orator, ex Demosthenis penu Græcus, è Ciceronis cupediis Latinus. parant singuli, pro se quisq; sedulò, quod conferat quasi symbolum, ad pompam exornandam. Quid? quòd suæ in his magnis hominibus partes non illæ impositæ auctoritate quasi inuitis, sed summa voluntate susceptæ libentibus: quòd sumptus collati non ad imperium coactè, sed ad nutum vltrò: facti non vt ad indigentiam restrictè, sed vt ad magnificentiam profusè: Scio, dudum magnum hoc tibi videtur, aduersus Sanctum studium clientum. Sed quicquid videtur nihil est, illud studium, ille ardor, illa solemnitas, quæ in pectoribus singulorum latuit inclusa, facit vt hæc maxima, sint nulla. Quòd si enim possemus aut ego calamo adumbrare, aut tu oculis videre, illum animorum non fucatum nitorem, illos lacryma-

rum riuos, illa calida suspiria, illa cilicia, illas flammas precum, illas corporum lacerationes, mirareris profectò Vilnam non tam intentam in cœlum, quàm delapsam è cœlo: imò non tam terram propter pompam, quàm cœlum propter religionem. Non tango priuata & quæ penatium fuerunt vniuscuiusq., publica loquor. Biduum his integrum impensum, eo toto, templa cantu personuerunt, precibus aræ: viri etiam summates saccis negligenter inuoluti, pedes nudi, tecti facies, manus armati flagris, publicè sic ibant ad D. Mausoleum, supplicium ibi à se admissuri exactorum. Alij pauperes sublevabant stipe: alij pietatis instincti sensu auxilio erant addictis carceribus: alij alias Christianæ caritatis obibant functiones. Qui confeßione expiarent culpas eo confluxerant numero, vt animis deficerent, qui erant audiendis. ô pietatem Lithuaniæ Catholicæ quam omnis ætas loqueretur si quid posset meus stylus edere dignum omni ætate. Inuitus enim exclamare cogor & nescio an non contra legem Panegyrici. Ite nunc hæretici, perfricate frontem, si quam habetis, clamate in vestris capitoliis inter fricti ciceris & nucis emptores, sentinam esse improborum Romanam Ecclesiam: aperiri in ea licentiæ officinam, fluere disciplinam, dißipari mores. Hæc sola, quam commemoraui, Catholicorum pietas vera, si non obscurat, penitusq; tollit totam illam sanctitatem quæ specie q. stibio & cerussâ ficta pellucet in vestra fæce, Calumnianus sim, id est, æternis ignibus cruciandus. Quid ogganitis? Nam quod hypocrisis ei notam allinitis, diu iam est cùm nouimus patricias illas vestras artes. Laus est, inquit Hector Næuianus, laudari sed à laudato viro. In horum numerum dum transi[...]bamini, vituperate vt libet, vel eò vsq; dum latus ruperitis. Sed hæreticorum oratio fecit, vt non teneret carceres suos, mea oratio: redeo ad pompæ apparatum. In his igitur, quæ dixi, summis omnibus, ne quid videretur non summum esse, si non summus, id quod vnum supererat & postulabat consuetudo, Diui labarum solemni ritu exciperet. Serenißimus Rex noster, quòd adesse ipsi per grauißima negotia non liceret, partes has LEONI SAPIEHÆ imposuit Illustriß: V. & M. D. Lithuaniæ Cancellario verè Magno. De quo quid ego tibi dicam tam magnificè, id virtus illius quin superet? alios cùm laudandos suscipimus, satis laudatos putamus: si hunc Scæuolam dicemus, alium Camillum, aut alium quempiam illorum heroum quos mirata est antiquitas. Leo noster sic Leo est, sic omni virtutis laude cumulatus, vt illustrior laus

accessura

accessura videatur ad Scæuolam si prædicetur Leo, quàm ad nostrum Leonem si dicatur Camillus. Habet rerum vsum. Quem? Si quem cogites minorem summo, peccat tua cogitatio. Ita enim in spissißimis negotijs semper versatur, ita grauißimas legationes obit, vt si verum sit illud Socratis; Prudentem esse eum qui nunquam delinquit, aut solus aut cum paucis sibi videatur posse vendicare prudentiæ possessionem. Habet auctoritatem. quam? Quam si quæras apud alios, vereor vt in quærendo frustra sis. Ita enim grauis est vt habeat humanitatis leporem suauißime inter spersum, seu potius ita humanus vt habeat gemmam grauitatis augustissime intertextam. Vno verbo. Non quærit anfractus viarum, sed viam semper terit vnam virtutis expeditam & directam. Ex variâ hac & multiplici alij alia ponant ei trophæa, ego vnum hoc pono, quod maximum est, veræ pietatis & liberalitatis. Pietatem loquuntur ædes sacræ à fundamentis ab eo excitatæ, donatæ censibus, auctæ sacra supellectili. Liberalitas ea est, vt eam videatur manibus præscripsisse legem, vt quàm esset vna ad accipiendum complicata, tam esset explicata ad dandum altera. Hic igitur LEO SAPIEHA ita sibi iniunctas partes tutatus est, vt vna in re tres amplißimum fructum sint consecuti; prudentiæ summæ, SAPIEHA, quòd tam concinnè Regis sui personam egerit: felicitatis, Lithuania, quòd hunc è suo corpore rerum agendarum principem submiserit: iudicij, SIGISMVNDVS Rex noster, quòd LEONEM SAPIEHAM huic potißimum rei delegerit, id est, voluerit Casimirum à Leone olim X. Pontifice Opt: Max: in Diuos relatum, ab alio, post multos annos, LEONE honestari. Sed audisti hactenus pompæ apparatum, vide iam si spompam ipsam.

Illuxit nobis dies sextus Idus Maij, & sol ille tot votis expetitus, confecta sui orbis ac stati curriculi altera parte, se nobis aperuit. At quomodo se aperuit? Nempe vt cogar hic à te etiam atq; etiam petere, vt quæ dicturus sum supra omnem humanum captum posita, ea ne orationis meæ metiaris angustijs, quæ cùm aliâs semper tenuis & exilis est, tum hic rerum oppressa magnitudine, & quasi exhausta, arida etiam euadat & exucca necesse est. Totus mensis hic fatali quadam aëris inclementia, & pertinacißimis erat infestus pluuijs. Hæ cùm in singulos dies densißimæ deciderent, & latè omnia tenerent illuuie; tum eo ipso qui diem pompæ proximè

anteceßit, ita spißæ cœlo sese intenderunt nubes, vt solem nobis omnem conderent: tum autem imber ita vastus, solum omne proluit, vt inhorrescens veluti, tristißimum vndiq; squalorem duceret. Ergo abijci animis vulgus & frangi, & res inibi esse, vt denuo spes sacri triumphi excluderetur. Exaugebat acerbitatem, insita hæreticorum proteruia. Etenim perstringere hi iocis Catholicos, ludos facere pompæ authores, nec ipsi adeò Sancto parcere, idololatriam induci manifestam, id abominari DEVM, indignari cœlum. Cui enim dubium esse quin iræ cœlestis hæc tempestas sit indicium? Et, inquiebant illi, tantum non voce missa, DEVS denunciat, non cordi sibi esse superstitionem illam. res ipsa loquitur. si aliter est, exerat virtutem suam Casimirus, redarguat nos ab alto, faciat, & procliue est hoc Sancto, dies sibi desponsus eat serenus, & agmine facto imus ad Papistas. Hæc dum ita fiunt, dum in horas ingrauescunt pluuiæ, dum hæretici insultant, Præsul magno animo, ad nimbos exponi labarum iubet. breue factu. breuius dictu, cùm totam noctem perbacchata tempestas esset, & iam dies appeteret, horæ quadrans non intercedit, & scindunt se nubes, purgatur æther, clarißimus & in quo nec maculam cerneres, cum omnium stupore sol emicat, ac purißimo lumine cœlum conuestiens pacti damnat hæreticos. Prodigium id statim creditum est, post, vt aliud ex alio nascitur etiam miraculum certum & exploratum. Nec vana fides aut dubia. Multis ea signis confirmata est & stabilita. Nam & supra Diui tumulum, nubes primum omnium discuti cœptæ, & si abires à Vilna, in ambitu omnia pluuiis obsessa, & alter ipse à solemnitate dies, imbribus perpetuis illis horridus, tantum non loquebantur, vim in eo communi & mortali maiorem egisse. Ostento hoc, mirum quantum erecti animi Catholicorũ et recreati. Itaq; vix vt è somno excitus quisque est, properat hinc religiosior ad Diui tumulum, illinc curiosior ad explorandam pompæ magnificentiam; vtrinq; tãto studio, vt D. Casimirus, si cuperet tumulũ suũ honestari, non cuperet sanè sanctius, aut Vilna si optaret spectare suam pompam, non optaret certè frequentius. Labarum sacrum depositum fuit ad D. Stephani, elegantißimo præ mœnibus templo. Hoc amplißima totius populi omniumq; sacrorum ordinum supplicatione, venerationeq; transferendum ad templum ciuitatis summum, iam ante Præsul edixerat. Ac tametsi populus quidem Vilnensis naturâ suâ pientior est & religiosior, quàm vt vbi pietatis agitur negotium, aut pati poßit suam desi-

um desiderari operam, aut expectare donec in illam mandatis adstringatur; tamen Senatus, pro prudentia sua, quòd sentiret, vt equi generosi hortatu, sic optimum quemque seipso effici meliorem, auctoritatem interposuit, & ex edicto iussit, ne quis vllus, quem vel ordo iuberet prodire vel consuetudo, se subduceret. Quare dum alij aliis distinentur curis, satagunt omnes rerum suarum qui in singulis ciuium classibus habent primas recensent suos quisque, recensitos cogunt in ordinem, coactis in ordinem suas cuique partes seu munera partiuntur. Hic ordo suis sic descriptionibus designatus & quasi dimensus, quia periculum erat, ne ab irruentis multitudinis vi permisceretur, vel intercideretur equorum aut curruum intercurrentium importunitate, delecti sunt certi, veluti apparitores, qui & submouerent populum, si opus esset, & ne vel currus vel equi supplicantibus terendã viam obsiderent, vicatim lustrarent, denique supplicationi toti viam quasi aperirent. Cæterum munus horum cùm in eo tantum esset positũ, in eo verteretur cura, vt ne integræ supplicationis perpetuam seriem extrinsecus obiectum quid interrumperet, sed eâ totâ æquabili quadam et quasi contexta cõtinuatione sibi iungeretur, præter eos, ne priuatim esset, quod dissipare posset, in singulis ciuium classibus statuti tactici sunt, qui vallo acerno, veluti caduceo, armati, suam quisque cum imperio obirent, concitatos inhiberent, tardos concitarent, segregarent densatos, sparsos disiectosque cogerent et omnia ordine necterent. Denique, quia fieri ferè solet, vt turbent noua omnia & insueta; prompta sint & exposita vetera omnia & consueta, ne pars vlla in hoc negotio vel curæ vel prudentiæ clauderet, sciuit Senatus, vt quẽ, vertente anno, eo semper die, quem augustissimo ritu Eucharistiæ anniuersarium sacrum colimus, singulæ ciuium tribus seruarent ordinem, ab eo ne quisquam discessionem auderet facere: sed quam ibi quilibet sortiretur stationem, eam etiam nunc teneret, non prætextu quodam ad negligentiam, sed Senatus edicto ad vitandam confusionem. Dum vix perpurgantur, coronantur, insternuntur, dum se comparant religiones consecratæ, confluit populus, dum in expectatione est ciuitas, dum reliqui parant reliqua foris quæ ad pompæ faciunt speciem, & dignitatem, Præsul cum suis in D. Stanislai æde rem procurat religionis. Ibi enim, præterquam quod dandum erat supplicationi initium, corpus etiam est: Sancti in Diuæ Virginis Sacello id conditum est. Hac enim viuus ipse inferri ossa sua voluit, si ab anima desererentur. vt

cuius pudoris & vitæ integritatem, dum maneret vita, vel maximè sibi proposuisset exprimenda, quam semper præcipuo quodam titulo coluisset, cuius laudes ephebus adeò carmine persequutus fuisset, ab eâ, quâ liceret, ne mortuus quidem auelleretur. Locus magna religione Sacer est, & Lithuani populi mirâ frequentatione percelebris. Votiuæ tabellæ à parietibus, à tholis sacris anathemata, ossilaque pendula facilè sancti cuiusdam asyli speciem animo oggereret. magnus eorum numerus, magnus ornatus vt meritò huic illum, an hunc illi præferas, addubites.

Hic ergo loci sacris rite perpetratis, & procuratis omnibus ijs, quæ res postulabat, ecce tibi horam octauam matutinam, qua omnes ciuium sacrorumq; hominum ordines, partim pietate impulsi suâ, partim magistratus quisq; sui edicto compulsi, sistunt sese ordine, sacram pompam administraturi. Risi hic malis non alienis, cùm huc Senatûs mandato extrusos etiam eos vidi, qui quoties boni aliquid faciunt, aut impensè DEVM colunt, incredibili sese scelere obstringi existimant, ex Caluini & Lutheri officinis tabernarios. nam & hi non pauci huc sese attulerant, operam nobis suam daturi. Episcopus ergo dum ita in procinctu est, supplicatio reliqua, dum aut imperium omnes expectant aut nutum, clerum instruit, dictum, factum, instructum producit, tanquam acquisiturum ius in tam sanctum thesaurum. Quam splendidè id si roges, parum certè cogitare videaris eum Episcopum, quem descripsi supra, & qui nihil habet in rebus humanis quod curet magis, quàm vt ad D. Apostoli præscriptum omnia fiant in Ecclesia εὐσχημόνως καὶ εὐτάκτως.

Sed operæ precium fuerit loca designare prius, quæ institerint supplicantes, ne sparsim pòst inculcata, et q. vaga vel aliò à supplicatione animum auellant, vel ipsam suo inter se ordine compactissimam diuellant, Proceditur ab æde D. Stanislai, ad D. Stephani templum, viâ qua potest commodissima, ad pompam, rectissima, ad compendium. Pons primùm transmittitur, qui per Vilnam fluuium excurrens, à reliquâ vrbe, cui nomen dedit, arcem diuidit: inde per plateam, quæ ab arce, cui imminet appellationem habet, hanc ædes terminat, quæ D. Ioanni Baptistæ Sacra. ab æde illa in forũ ciuitatis via teritur, recta, lata, pulcra. hac insistitur, In forum ventum est: ad illã deflectitur plateam, quæ dextra est euntibus, ea multo tractu & eleganti ad portam ducit, cui nomen est Rudnicensi. Rudnicensis hæc porta per suburbium longissima

ſima & pleniſſima via recta ad D. Stephani perducit fanum. Iſta via eſt.

Ex hac via tali, tam longa, niſi tuopte cogitatu in pompæ iudicium & exiſtimationem veneris, minime tu quidem id facis, quod mea ſpectat oratio, tum mihi autem oppidò quàm difficilem & nimis quàm arduam prouinciam imponis. Quid enim, vt deſcribam? vt oratione in rem te ducam tanquam præſentem? hoc enim iubent in his talibus magiſtri eloquentiæ. At is fuit ſplendor, at tantâ ea varietate fuit diuerſa & diſtincta, vt elegantiſſima cuiuſq; oratio, ne meam cogites, vix ac ne vix quidem, ficta etiam ac reficta in omnes formas depingere poſſit eius, non dico veram effigiem, ſed vmbratilem formam. Solitus ſæpe fui mirari apud me, cùm triumphos legi Auguſti, Marcelli, aliorum, illos currus miniatos, illos equos niueos, laureatos lictores, milites, faſces, illa ſimulacra oppidorum, illud aurum, argentum, illum clamorem militum, cogitaui nihil præ illis fieri, nihil fingi poſſe ad hominum oculos detinendos, paſcendos: deſinere coactus ſum mirari illa, cogitare hoc quoties ſpecies ſeſe mihi offert pompæ quam dico. Quo & nihil moueberis, ſi quæ illis appingunt, tanquam cupreſſum, qui ſcribunt, nihil poſſe fingi ad rem nitidius, nihil ad formam cultius, ad ſplendorem pulcrius, ea ego vel omitto tanquam minuta, vel contemno tanquam leuia. Non commemoro iam arcus illos quatuor, qui mirè gratâ diſſimilitudine, quam notaui, viam diſtinxerunt. videbis eos infra & ſtupebis: præterea acroamata feſtiuiſſima, exquiſitiſſimos omnes generis plauſus audies pòſt, & miraberis: illa tantum aulæa ſuſpenſa ad parietes, illa veſtis precioſa è locis editioribus pendula, illi tapetes inſtrati humilioribus, illa texta, picta, ficta paſſim expoſita, incredibile eſt, quantum ſpectantium aciem perſtrinxerint, ceperint mentem. Legiſti Apellis, Zeuxis, Parrhaſii tabulas? legiſti magna, ſed non ea, quæ ego volo intelligi, ſumma. Legiſti id quod ſplendidè potuit ſcribere Plinius, fingere Martialis, ſed non hoc quod ego deſcribere deberem magnificè. Quicquid enim huc confers horum, nihil confers, cum omnia ſi dicantur ſimul, infrà rem dicantur. Quid enim? quantæ putas fuit iucunditatis videre hic in cornua ſurgentem ceruum, & curſu campos nitentem tranſmittere: illic inter arbuſta immani mole attollentem ſeſe vrſum, ei inſtantes clamore, cane, fune venatores: quà coronâ vrbem inuadere exercitum, quà collato pede præliari: rurſus ibi in arido ſolo plenis velis volare nauim: alibi ad actam

in Syrtes

in syrtes pessum ire & miserandum in modum hauriri fluctibus. Sane hæc omnia acus filo ita repræsentauit scitè, ita expreßit affabrè vt planè iurares, verum ceruum non currere contentiùs; viuum vrsum non attollere se immaniùs: legitimum nec exercitum pugnare animosiùs, nec nauim ferri præcipitantiùs: & tamen hæc tam iucunda ita à nobis carptim sunt libata, quasi in nausea & obsesso stomacho ciborum delitiæ. Copia hoc fecit, & immensa horum talium vis. copia inquam, quicquid enim texuit aulæorum Flandria texuit ea vt gentium vna consensione rescribi iam poßit Martialis victa est

Pectine Flandriaco iam Babylonis acus:

quicquid intulit tapetum Turcia, intulit semper exquisitißimos: quicquid vestium Seres submiserunt, aut Coa, aut Tyrus; submiserunt preciosißimas: id totum iam protulit Vilna in apertum, in propatulum, in pompam: vt existimem longè maiorem eloquentiæ me laturum laudem, si dum taceo singula, ostendam prudenter copiam in omnibus: quàm si, dum scribo omnia, ineptè meam prodam inopiam in singulis. Taceo igitur. & quod spectans feci, vt non paucis in ista immensitate obiter saltem, & vt dicunt, ictu notatis, deflecterem oculos ad alia, id facio scribens, vt quàm multis leuiter tantum, & vt aiunt, ductu indicatis, aliò calamum conuerto.

Quò autem? nempe ad supplicationem. eccam igitur illam tibi procedentem, orantem, Hic vt ordinem videas, volo prius videas totam vniuersè ciuitatem in tres tributam esse quasi ordines, qui singuli in alios iterum & alios minutius sunt concisi. Primus eos complectitur qui opificum nomine censentur & operarum: Alter mercatorum est totus: tertium ij explent qui ab vtrisque horum instituti genere seiuncti, alias & varias vitæ persequuntur rationes. vidisti? rectè, volo præterea intelligas, multas esse Vilnæ piorum ciuium familias certis vinctas legibus, Sodalitates vocant leuiter detorto prisco nomine, quod coitiones nimirum faciunt de augenda re Christiana. numerosæ illæ ad D. Ioannis, quæ Sacra Vilnensium curia est: tum à singulis prætereà Cœnobitarum collegijs suæ, à quibus ne in publicis quidem supplicationibus seiunguntur. intellexisti. satis. iam hæc series.

Artes & opificia quæ sparsa per ciuitatem in triginta duas dispescuntur classes. Hæ in primum locum subeunt reliquisque processuris viam

munium

muniunt. Vexilla singulis singula in quibus vel emblematum suorum expressio vel alicuius Diui. non recenseo. Quis enim nescit in ciuitate Sartores, Calceolarios, Clinopegos, cæmentarios, poliones, capsarios, restiones, buccularios, infectores, alutarios, zythepsas, machæropœos, fabros & huius exercitus alios. Locum his continentem sub decem signis ij ciues tenent, quos in tertium genus supra conieci. hos excipiunt mercatores: mercatoribus, quasi epimetron, iunguntur qui excubias agunt conducti à magistratu: plenissimi hi fuerunt ordines. vexilla plurima & pulcerrima. Qui prodierunt instructi, hic bipenni, ille hasta, iste sclopo. armati omnes: alius alio modo, nullus nullo modo. amicti quisq; suo arbitratu. dicam infra. Ciuium hanc seriem claudebant, qui ad D. Ioannis primis literarum rudimentis imbuuntur pueri. His Sacri ordines succedebant. Curio Vilnensis, Parochum vulgo vocant, cum suis primum locum tenuit. Sodalitates ei iunctæ quinque.

Prima fuit Sanctissimi Sacramenti. Lectissimus hic ciuis. Sodalibus tutelaris est D. Dyonisius. vexillum coloris rubei. in eo pegma præcelsum Eucharistiæ, πασοφόριον veteres appellarunt, elegantissimè pictum. Hæc numerosior fuit, quòd ei sese adiunxerant illi qui nomen dederunt Sodalitati Misericordiæ.

Secunda Sartorum fuit, Sacra DD. Laurentio & Christophoro. Sodalibus vexillum luteum.

Tertia ephippiariorum, insignis tutelâ S. Ioannis Euangelistæ. Sodalibus vexillum cæruleum.

Quarta fabrorum ferrariorum dicata S. Bartholomæo. Sodalibus vexillum prasinum.

Quinta sutorum sub tutela D. Annæ. Sodalibus vexillum album.

Sodalitatibus his perpetui erant Studiosi Academiæ. Lectissima fuit iuuentus, numerus maximus: Hic locus Sodalitati Partheniciæ B. V. Salutatæ ab Angelo Sacræ, de quâ illud tantum hic dico, quoties cogito adscriptum me in eius commilitium, toties intimis sensibus gestire, esse mihi, quorum & auctoritate regar, & moribus emender, & erudiar exemplo.

Proximè post Academiam subeunt, qui rebus mortalibus valere iussis, Deo sese in religiosorum certis familiis mancipparunt. Hos quàm ament tenerè

nerè illi, qui à Caluino; hinc collige. Transibant illi. Transeuntibus, (audi quæso hoc vnum meum) ita fors tulit, adstitit mihi quidam de illo grege capillatus, minister voluit salutari. Et hem, inquit mihi, post quam nescio, quid fractâ voce fuisset stomachatus; illæ cercopithecorum penulæ. (in vestem eorum ludere voluit infelix sannio) cui vsui? an vt à nobis qui homines sumus separet. at quid opus? Tacui. Sed cubito identidem elicienti responsum, (Putabat enim reperisse se non quod pueri in faba, & omnes Monachos iugulasse vno ictu) & ingeminanti illud suum quid opus? subieci. Illis quidem permultum: cæterum vobis nihil. cur enim notemini nouæ vestis nouâ formâ, qui id agitis sedulò viuendo vt facilè internoscamini à nobis notâ, non vestis nouæ, sed actionis impuræ. cæpit ille fremere & nescio quid incondito sono velle loqui. contempsi hominem. abij. Cæterum quàm verè dixerim, tu iudica. quis enim est paulò prudentior, qui hæreticos licentiâ vitæ, innocentiâ Catholicos non metiatur? eam iam consecuti sunt palmam; Vsque eò vt in Lithuania quidem, si quis nostratium paullò sese gerat liberiùs, illud statim audiat, ab iis qui Caluinum profitentur aut Lutherum; Hoccine Catholici est? quasi illud velint; ita ne desertis tuis ad nos transfugis? Sed refellendæ stultæ hæretici orationi frustra immoror. ad religiosos reuertor.

In primâ serie erant ij, quos, D. Bernardino antesignano, arctiorem D. Francisci amplexos regulam, vulgo Bernardinos vocant, ego Aretinos soleo, ita virtutum omnium officijs funguntur. S. Annæ cum ijs Sodalitas, præuio vexillo cyaneo longè augustissimo.

Altera series eos habuit qui eiusdem D. Francisci præscriptionem sequuntur calceati apud D. Virginem. Tres hic Sodalitates. Vna B. V. Conceptæ Sacra: Altera Ioanni Baptistæ: S. Kiliano tertia. Suum cuiuis vexillum: illi rubidum, isti viride, huic russum.

Tertia series Carmelitarum erat apud S. Georgium. Socia illis D. Barbaræ Sodalitas duplici vexillo insignis, & effigie patronæ.

Quartam seriem tenuerunt qui S. Dominici instituta professi ad S. Spiritum degunt, & pietate iuxta ac eruditione meruerunt, vt Vilnæ inter primos sint. Cum his Sodalitas erat quam vocant Rosarij, omnium si quid sentio, Vilnæ amplissima. Vexillum ei candidum. Ordines religiosorum terminabant Scholæ ædis apud Vilnenses principis. Pueri hic

multi

multi veste, forma, cultu nitidi. Vexilla quinque.

Post Scholas has, clerus sequebatur ritus Græci, more suo præferens faces. Acolyti plurimi. (Archimandritæ,) hoc apud illos nomine Cœnobiarchæ veniunt, duo.

His continens erat Presbyterorum numerus longè maximus. qua eorum qui functionem aliquam obeunt in summo templo, quà aliorum qui confluxerunt aliunde. Stiterant enim sese omnes vocatu Præsulis quicunq; in ambitu Diœceseos Vilnensis. Iis Musici subiungebantur. Musicis pueri veste pellucentes, galeati nonnulli, qui militer sese D. Casimiri dictitarent: alij qui referrent Angelos: singulis in collo torquis ex auro benè grauis: in manu illis vexilla: pars cydari insignita, pars sceptris. his rosæ albæ aut lilia: arte quidem facta omnia sed ex plumulis, ex auro, vario colore, serico albo & conciso ita facta eleganter, vt facile iurares non facta. Quid enim tibi dicam in rosâ spinas horridiusculè hinc inde implexas, trementia capillamenta, extuberans caput: quid in lilio virentem scapum, fruticantes cymas? quid in vtrisq; inclusa semina & radice non benè firmâ natantia, quid folia hic conniuentia, ibi dehiscentia, illic extrà oras dum effluentia. Vetus est dictum; Pulcros esse fœtus artis, aureos naturæ. Parum abest & propter has rosas, propter hæc lilia inuerto.

Vltimo loco Senatus erat Canonicorum, inter eos Episcopus Methonensis, Coëpiscopus Vilnensis. Hunc interiecto spacio subsequitur ipse Præsul Vilnensis inter Decanum & Cantorem medius. Præsuli proximè insinuant se magnates Lithuaniæ: hos claudit promiscua multitudo magnâ modestiæ, maxima religionis specie. Fœminas hic maximè mirari fuit, & earum pietatem. Pleræq; faciem velatæ, nudæ pedes, non illæ tantum è vulgo, è plebe pedibus silicem quæ conterunt atrum vt Iuuenalis iocatur, illæ etiam politæ ex aula, comptæ ex Gynæceo, delicatæ, inquam illæ. quæ tenui sudant in cyclade; quarum

Delicias & panniculus bombycinus vrit.

Non possum hic sentire, quid sentire debeam de splendore huius supplicationis. Nam fuit splendor in ornatu, splendor in ordine, splendor in Musica, splendor in numero. Vis de ornatu? de religiosis nihil dico, quanquam omnia dico, dum id vnum dico, fuisse religiosos. De cæteris; nitebant omnia in singulis. Ciuis qui processit fuit cultissimus, vestis cuiq; aut

 byssina,

byßina, aut serica, aut holoserica: etiam attalica & phrygia. Nam bombycinæ, vndulatæ, laneæ tantum non viluerunt. Arma singulis in manu, alij nitidi erant ad leuitatem Galli: limati alij ad maturitatem Hispani: hic Germanum induerat, ille Vngarum. Quid clerus? hic verò aurum & argentum instar fuit nihili, gemma, lapilli, materies alia lauta, preciosa, texta, picta, incisa, omnium in sese conuerterunt. De ordine. Bini semper procedebant longißima serie connexi. Ordinem ab ordine secernebat, aut vexillum, aut crux, aut vtrumq;, muniebant hinc sui quemq; stipatores: claudebant & aperiebant apparitores. De Musica. Concinebant Psalmos, hymnos, laudes DEO, Diuisq;, alij voce naturaliter fusa, alij modulatè conformata: hi alta, illi demissa. De numero. Tota Vilna, prope dixerim Lithuania, effudit se: non vt spectatrix curiosa prospectans è fenestris: extans è tectis, suspensa ex appendicibus, affixa angulis, epplens fores: sed vt sedula cultrix orans in templis, psallens in vijs, exultans per compita. Hoc ordine, hac frequentia, obuiam itur sacro labaro. In æde D. Stephani postquam precibus & cantui aliquid datum est, & data est semihora circiter, consident quos capere locus potuit, prodit in medium qui Romam missus à Rege, ab Episcopo, labarum tulit. Is fuit Gregorius Swiecicki Canonicus Vilnensis. Habes nomen. Vis aliquid amplius? at omnia dixi, cùm dixi à Rege, à Præsule nuncium: cùm narraui Romam: cùm nominaui labarum. Rex sapientißimus est, Præsul prudentißimus: Roma summa est, labarum Sancti est, ab illo Rege, ab hoc Præsule quid putas esse nuncium cuiusmodi est? Romam destinari nuncium quid existimas, quale est? In Sancti negotio agere nuncium, quid censes quantum est? quanquam ego quidem in Swiecicio nostro præ illis miror, vel quod labarum ita curauit, vt habeamus, quod nemo non tentauit frustra: vel quod Romæ ita egit, vt impetratum tulerit quod voluit, quod difficilius est quàm putatur; vel quod nuntij expleuit omnes numeros, vt qui miserunt, eorum ita sustinuerit expectationem, vt multis partibus superauerit. Nec verò amor facit vt illi hæc tribuam, quasi propria (quanquam mirum in modum amo hominem in omni eruditionis parte versatißimum) sed virtus eius omni parte enitens, extorquet, vt dicam, de eo quæ possum, cum non poßim quæ debeo. Hic ita cæpit.

ORATIO.

ORATIO.

R. D. G. SVVENCICII. C. V. Labarophori.

QVOD à Sacrâ Regia Maiestate iniunctum mihi, & tua pręterea, Præsul amplissime, primùm voluntate, deinde auctoritate susceptum munus fuit: illud ad eum, Deo Duce & auspice, perduxisse finem, quem & vnicè semper desideraui ipse, & verò existimaui S. R. M. tibiq; gratissimum, Patriæ autem vtilissimum fore: id Deum inprimis Opt. Max. supplex veneratus ex animo lætor. Nam cùm rem aggressus fuerim, non plurimis tantum & maximis obseptam difficultatibus, sed vario etiam & nunquam satis prospero tentatam à plerisq; clarissimis viris euentu, eam autem, quæ Dei bonitas est, non consilio aut prudentiâ, qua cum iis, quos dixi, ne comparandus quidem sum, sed labore tantum & studio perfectam, ei, quæ vitâ cuiq; sua carior esse debet, patriæ dederim, fieri profectò non potest, cùm in eius rei venio memoriam, quin insolitus quidam, & inusitatus me voluptatis sensus, veluti flamma quædam, corripiat. Non opus est multis verborum ambagibus, Diui Casimiri Indigetis nostri & communis Patroni, in quàm multiplici ancipitiq; curâ negotioq; sit versata hactenus, vt sic dicam, Apotheosis, cuius hodie, quod bene fæliciterq; vertat, primam publicè memoriam læti agitamus, quis est qui ignorare possit? Sanè quidem faciendum mihi erat hac in re, vel inprimis illud, vt cùm Regis nostri Serenissimi, tum tuam, Antistes vigilantissime, debito celebrarem præconio curam & diligentiam: sed nimirum & tanta illa est, vt pro dignitate nequaquam satis exornari ab eo queat, cui alia etiam agenda sunt: & verò, bonum id nostrum, quo cumulati sumus hodie & aucti, ita animum meum occupat, & velut possidet,

possidet, vt aliò eum diuertere non sinat, adeóq; facit vt malim in ea silenda culpæ, quàm in hoc non exornando ingratitudinis notam subire. Accedit, quòd illa quidem vestra in vulgus nota sunt, quòd cæteroqui neminem latere potest: & Rex Serenissimus, ex quo ad Regni huius gubernacula admotus est, & tu, ex quo ad clauum huius Ecclesiæ sedere cæpisti, quod studium, qui conatus fuerint, illius quidem in Regno vniuerso; tui autem in hac Lithuania propagandæ religionis & prouehendæ: quod denique verum illud apud vos habet, conscientiam rectè gestorum aliud nullum virtutis præmium, quàm virtutem ipsam deposcere. Patriæ autem nostræ, quod dixi, bonum tantum est, vt vix videam ab impij animi notâ, quomodo sese vindicaturus sit qui aliud ab illo dicendi argumentum sibi deligat. Patriæ igitur vel maximè gratulandum esse arbitror: quæ cùm diuinæ benignitatis indicia semper maxima senserit, tum hodie sanè experimentum cepit longè clarissimum. Nam tametsi, illa in summis meritò numeranda sunt Dei beneficiis, quò à vano idolorum ac deastrorum cultu, vltimos quamuis totius Europæ auocatos nos, & è densissimis ignorantiæ errorumq; tenebris, in clarissimum Christianæ veritatis vendicatos lumen Ecclesiæ suæ aggregauerit: quòd deinceps nouo religionis succo, quasi tenellas stirpes, imbutos, magis ac magis semper rore cœlestis verbi irrigauerit, tandemq; pientissimorum principum, Iagellonis maximè, summi viri, & Patriæ nostræ diuinitus dati, labore & industria ad maturitatem perduxerit; Tamen haud scio, an inter illa non præcipuum locum id sibi deposcat, quod Diui nos Casimiri patrocinio, siue in agro suo tanquam plantas munire & vallare, ; siue in vinea palmites statuminare, idq; hodierno die voluerit. Hoc ita habere & eo Dei Opt. Max. beneficio nihil cogitari possit maius & diuinius, non aliunde magis quam ex vita Diui nostri, & iis quæ gessit super omnem humanum captum & consuetudinem posita fieri potest perspicuum, quæ dum ego, omissis cæteris, breui & simplici, & quo sanctos præcipuè delectari credibile est, minimè fucato orationis prosequor filo, quæso vos attendite. Quid

igitur

Igitur de vita Casimiri beatissimi dicam? cuius etiam dies natalis non vulgaribus indiciis antea prænunciatus ita fuit, vt iam inde à fælici eius in hanc lucem ingressu, facile coniicere licuerit, quantum in eo florentissimum hoc Regnum auxilij paratum semper esset habiturum. Præcesserunt siquidem ortum eius proximè insignis de Crucigeris, in Prussia, victoria, & memorabilis Georgij Podiebradij Bohemorum Regis legatio, quorum illi quidem victi fugatiq; Casimiro, Casimiri nostri patre, ad Papouiam vsq; eos prosequente, cùm ausi essent muris salutem defendere, & vim tamen Polonorum sustinere non possent, & arcem dedere coacti sunt, & ipsi non sponte in victoris potestatem venire: Hic vero amicitiam & societatem pollicitus, gentem quoq; suam cum regni insignibus in fidem ipsius & clientelam tradere non dubitauit. Nam ea profectò non aliquo casu, sed singulari Dei Opt. Max. prouidentia accidisse, & futuram Casimiri vitæ sanctitatem, & haud dubium Patrocinium iam tum portendisse existimanda sunt. Equidem an ista è vestigio tunc à parentibus nostris intellecta sic fuerint, compertum non habeo; illud certò scio, multò maiora nobis euenisse, quàm vnquam sperare potuissemus. Siue enim annalium monumenta euoluere, siue nostrorum memoriam temporum ipsi altius repetere velimus, dubium non est, quin plurima reperturi simus, quibus præsenti semper auxilio patriam nostram Casimirum nostrum tutatum esse manifestum euadet. Sed mitto natiuitatem, ad vitam venio. Cuius integritate & sanctimonia tametsi Regio sanguine ortus esset, itatum maiores suos illustrauit, vt non tam ab eis lumen recepisse, quàm ipse illis intulisse videretur. Et quanquam generis nobilitas non paruus ad virtutem stimulus esse solet; diuitiarum tamen ac rerum omnium affluentia, ad arcem veræ uirtutis & sanctitatis contendentibus, ferè, quasi nauigantibus, esse solet remora. Quò & non in postrema Casimiri laudis parte illud ponendum arbitror, quòd voluptatibus omnibus regioq; luxu à se abdicatis, eum vitæ modum tenuerit, vt nunquam à recto, à iusto, ab honesto vel latum vnguem in diuersum abierit; eum cursum

exegerit,

exegerit, vt nunquam offendere compertus sit. Id quod omnes vitæ eius partes si inspicias facilè loquuntur. In tenera quidem eius ætate, vt mansuetudinem taceam quam planè mirabilem prætulerit: vt non commemorem ingenuarum omnium artium scientiarumq; honestissimarum amorem, quem vel pöemata Virgini matri ab ipso dicata testantur: vt omittam deniq; virtutum omnium pulcherrimarum & maximarum posita, vt ita dicam, rudimenta, ad quarum metam incredibile quantâ celeritate pertigerit, feruentissimum Deum precandi studium ita extitit admirabile, vt in oratione non rarò noctes posuisse integras, sæpissime dum illi insisteret, abstrahi à sensibus & tanquam extra se raptus in Deum totus abire obseruatus fuerit. Iam verò adultior factus quid dicam, vt non modò nihil de vitæ integritate, & virtutum exercitio remiserit, sed tanquam nihil vixisset hactenus ita viuere ad normam quotidie incœperit? Quid? vt inopum ac egenorum & quibuscunq; fortunæ telis percussorum, certissimum semper asylum extiterit? Quid? vt impios prosecutus odio fuerit, eosq; quoties ad saniorem sententiam reuocare non poterat, aulis etiam amouere consueuerit? Quid? vt religionis Catholicæ acerrimum semper defensorem se præbuerit? Qui schismaticorum (nec enim vllos præter eos alios, vt nunc fit, proh dolor, sectarios reperire tum erat) pestiferas factiones quâ suâ, quâ paterna auctoritate ita fregit, ita conatus nefarios repressit & coercuit legibus, vt si qui insecuti sunt Reges, per eius vestigia incessissent, hæreseos nomen nunc audiremus potius impium, quàm pestilentissimas machinationes pertimesceremus. Vox me prius deficiat, auditores opt: quàm singula ipsius pulcherrimarum virtutum exempla enumerare valeam. Quare omitto temperantiam & summam tam in victu quàm in cultu corporis & vestitu moderationem: sileo ardentissimam diuerberationum, inediæ & eiusmodi carnis castigationum appetentiam, in quas ita animi impetu ferebatur, vt frænis potius inhibenda, quam concitanda calcaribus ab iis ea esset necessariò, quorum curæ sese & fidei commiserat: Illud vnum, illud inquam Casimiro nostro

palmarium

palmarium reticere non possum vsq; eò pudicitiam, & eum qui integritatis vocatur florem curæ cordiq; habuisse, vt vitæ maluerit iacturam facere, quàm, de medicorum sententia, per scelus illum & flagitium polluere. O insignem continentiam! ô admirabilem angelici iuuenis castitatem! tantóne adolescentem Regium amoris diuini flagrasse igne, vt in ipsam potius mortem ruere maluerit, quàm à lege supernæ Maiestatis vel tantillum discedere? tantoperé ne à vitiorum abhorruisse cæno, vt satius duxerit, acerbissimos morbi dolores perpeti, atq; adeò ipsam vitam ire perditum quàm infami sese crimine, in summa mortis impendentis necessitate & extremo vitæ periculo, obstringere? O amor pietatis & innocentiæ quò non rapis quas semel ardore tu deuinxisti mentes? Quanquam frustra ego hoc exclamo, auditores, frustra vos miramini: Eo ille semper desiderio ad cœlestem illam veramq; beatitudinem aspirauerat, vt quæ cæteris voluptatem in hac vita afferre solent longè maximam, ea ipsi fastidium pepererint longè grauissimum. Vnde factum est, vt, amicis impēsiùs hortantibus, tandem medicorúm dictis acquiesceret, atq; ita vitæ suo in tanto discrimine versanti consuleret, palàm generoso & animo & vultu respondisse dicatur, nullam sese aliam nosse vitam, præter cœlestem illam immortalitatem. Ac ille quidem, hoc tam nobili edito facinore, vitâ hac solutus fragili & caduca, & omnibus fortunæ fluctibus exposita, ad æternæ illius felicitatis domicilium, angelicis manibus deportari meruit: nos autem exemplo suo docuit, non reliquis tantum fortunæ commodis, sed ipsa etiam vita potiorem ducere diuinarum legum custodiam. Sed audistis vitam hactenus inculpatissimi iuuenis, audistis vitæ rationes: cæterùm tantum abest, vt vitæ terminis circumscribi aut coerceri potuerit diuina eius vis, vt in ipsa etiam morte sese exeruerit, si mors tamen appellanda est, quæ vitæ illi fuit initium. Nam vel eo ipso tempore, quo castissimum spiritum Deo reddiderat, & publico omnium omnis conditionis hominum luctu deplorabatur, clarissimo signo testatum fecit, omnipotentis Dei bonitas, tam nos principis orbatos tutelâ,

quàm sancti auctos. Grassabatur sub id temporis quorundam perditorum hominũ colluuies in Polonia, & Christophoro Szafraneccio Duce, non latrociniis tantùm clandestinis, sed aperto etiam Marte, agros, domos nobiliũ, immo oppida pleraq; depopulabatur, cædibus omnia & incendijs miscens. Audite. Vix è viuis abierat D. Casimirus, & factio hæc tam perniciosa, non oppressa tantùm est, sed funditus etiam deleta. Hoc tametsi meritò magnum haberi potest, tamen initium solummodo id, & quasi præludium majorum beneficiorum fuisse & res ipsa docuit, & nunc etiam cultus ille loquitur perpetuus, à Patrum nostrorum memoria, ad hoc vsq; æuum, non à Polonis tantùm ac Lithuanis, sed exteris quoque nationibus, sanctissimi iuuenis reliquiis impensus: & verò votiuæ tabellæ, anathemataq; magno munere ad ipsius monumentum suspensa tantum non clamitant. Quis enim vnquã supplex & spe plenus venerabũdus, ad sacras illas reliquias accessit, qui nõ voti compos domum sese receperit? Multa hic talia consultò prætereo, quòd immensa eorum multitudine modus mihi potius quærendus, quàm consectanda est copia. Sed enim geminam illam Sigismundi Regis primi de Moscis partam victoriam facere nullo modo possum, quin explicem, vbi tam apertum S. Casimiri sese prodidit auxilium, vt nullus dubitationi locus possit relinqui, quin diligentissimam nostri curam gerens, in quibusuis nobis opem casibus ferat. Superandus erat Regio exercitui Duna fluuius, sub ipsis Polociæ mœnibus vallatis numeroso & forti Moscorum milite. Hic cùm tam sit rapidus, vt vix vado vnquam penetrari possit: tum eo tempore ita imbrium increuerat copiâ, vt omnem peruadendi spem nostris abstulerit. ergo animis angi nostri, vt solet, & quod solum in eiusmodi rebus est tutum, præcibus, ad diuinum confugere auxilium, & Casimiri implorare subsidium. Vix verba conceperant, & ecce præsto iuuenis adest, veste amictus candida, equo vectus eximio. Hic subditis equo, cui insidebat, calcaribus, Primus in aquas insilit, superatoq; alueo ab aduersâ ripa, cunctantes nostros vt intrepidi sese consequantur, voce & nutu, vt potest, adhortatur.

hortatur. quid fit? ingrediuntur vadum ostensum nostri, transmittunt, eo transmisso, cùm nusquam iuuenis ille compareret, & illi beatum Casimirum eum fuisse non dubiis signis crederent, erecti hoc ostento, simul & signum pugnæ dant, & hostes fundunt, & eorum castris potiuntur, & arcem conclusosq; in ea fratres graui obsidione liberant. Hæc prima earum, quas dixi, victoria est. Sed multo etiam celebrior est illa sexaginta millium Moscorum cædes: qui cùm populabundi sese per Lithuaniam diffudissent, & extremum exitum patriæ nostræ comminati, omnia igni ferroq; peruastarent, prædas vndiq; auerterent, & nulli ætati, nulli sexui parcentes, partim exquisitis tormentis obuios quosq; enecarent, partim in miseram seruitutem vinctos abigerent; damno suo didicerunt, quantum in S. Casimiri patrocinio repositum esset Lithuanis præsidium. Desperata erant omnia & tanquam conclamata, cum subitò, nihil in humanis viribus opis esse situm animaduertens manus nostrorum militum plusquam exigua, & non tam ad propulsandum comparata hostem, quàm ad retardandum (nempe duorum millium capitum non excedebat numerum) preces ad Deum fundit, & Beato sese Casimiro solemni voto obstringit, hosti paucitatem nostrorum deridenti occursura. Nuncupatum erat votum, res mira: conspectus in äere Casimirus fulgentibus insignis armis, nunc tacitè animis suorum vigorem & audaciam insinuans, nunc manifesto impetu in aduersam aciem irruens, tantum hostibus incussit terrorem, vt quamuis ingenti multitudine, tamen nec congredi, cum iis auderent, quorum paulo antè paucitatem protrituros sese iactitarent. Quid multa? ita illos res hæc perculit, vt cùm frustra fuga salutem quæsiuissent, in ipsa fuga cæsi fuerint vniuersi, vix elapsis, qui rem gestam Tyranno nunciarent. Id quod eo libentiùs cōmemorâui pluribus, quo minus me latet, non paucos ex his qui adsunt auritos, plerosq; etiam oculatos rei esse testes. His igitur omnibus rebus & aliis compluribus perfectum est tandem, vt tot beneficiorum, quæ à Diuo Casimiro acceperant memores Poloni, Lithuaniq; Proceres, assiduis precibus Regem Sigismun-

dum eius nominis primum eò perpellerent, vt sedi Apostolicæ per legatos suos, de Casimiro in Diuorum numerum referendo, supplex fieret. Obtinebat eo tempore summũ Apostolatus fastigium Leo Decimus, is re diligenter cognita perspectaq; & ponderata, in frequenti Cardinalium Senatu, iustis Legati Regij, Erasmi Vitolij, Episcopi Plocensis postulatis annuit, & Casimirum meritis insignem, miraculis clarum solemni, vt par erat ritu, cœlestium Catalogo ciuium ascripsit, illiq; eum honorem Apostolica auctoritate deferendum decreuit, quem sanctis hominibus in æternæ gloriæ possessione ascitis exhibendum esse pia & vera religione edocemur. Et sanè res ad exitum perducta erat, tantumque optatus Regij legati reditus expectabatur: cùm ille Diuina sic disponente sapientia ante ipsum penè reditum humanis rebus eximitur. Quod quidem vel peccatis nostris tantum bonum nobis eripientibus imputandum est: vel certè eò euenisse diuinitus credendum est, vt curam nostram & solicitudinem, in eo perficiendo quod cæptum erat, exacueret. Nam celebris illius ceremoniæ qua D. Casimirus, Pontificis Summi authoritate, cœlestium cultu incolarum honoratus fuit, literæ Apostolicæ testes, reliquaq; monumenta vnà cum Erasmo interierunt, adeo & debitus D. Casimiro honor, ad nostra vsq; tempora, non tantum non persolutus, sed abolitus prope obliuione fuerit. Qua quidem in re, Sigismundo III. Poloniæ Sueoniæq; Regi Max: & religiosissimo, & tibi, Benedicte Woyna Præsul optime, gaudendum esse vehementer censeo, vobis potissimum reseruatam esse hanc palmam, hanc gloriam, perennibus posteritatis annalibus frequentandam, & perpetuâ sæculorum omnium memoria vsurpandam, vt, quod partim diuersis fortunæ casibus euersum, partim maiorum nostrorum incuriâ abolitum, partim deniq; temporum vetustate obliteratum, hominum memoria exciderat, id per vos maximè pro ea, qua soliti hactenus fuistis, ad diuinum cultum propagandum, vti diligentia, piè ac religiosè inuestigaretur, inuestigatum erueretur, erutum produceretur in lucem, productum in lucem, ante omnium oculos statueretur. At Rex quidem

dem Serenissimus, aui sui materni virtutem hac in re non æquasse mihi tantum, sed superasse etiam videtur: cùm non minore cura, meliore certè & prosperiore euentu, tam nobile ac illustre munus, à Clemente Papa VIII. vt voluit, impetratum tulerit. Tu autem pientissimi Episcopi omnes sanè partes impleuisti, cùm id vnicè operam dedisti, vt, quia iam pridem sanctorum choro annumeratus esset D. Casimirus, eius honori immortali dies publicè festus decerneretur.

Sed longior fui quàm volui, certè quàm debui. quod restat igitur Apostolicæ sedis Authenticum diploma à S^mo^ Domino nostro ad Regiam Maiestatem transmissum tibi, Illustrissime Domine Cancellarie, qui ad hoc tam præclarum & prænobilem actum, à S. Regia Maiestate legatus, eius hîc locum obtines, cum ea qua decet reuerentia offero: quin & vexillum S^mi^ Patroni nostri consecratum, trophæum militiæ eius, cœlestis & Diuinæ in nos benignitatis arrham trado: simulq; precor, vt qui est Pater misericordiarum & consolationum Deus, Patriæ nostræ carissimæ, tot rerum discriminibus iactatæ hactenus, adesse tandem propitius & opitulari dignetur. Spero futurum, quod precor, & auguror, Cur sperem, cur augurer, cùm multis signis adducor, tum illo, quod dicturus sum, vel maximè confirmor. Mensis Maij decimâ die, anno superiori vexillum hoc Româ asportaui: decimâ die Maij anni vertentis idem Vilnam infero. Leo X. instante Sigismundo Rege primo, Diuum hunc in cœlestium ciuium album retulit: Tu, LEO SAPIEHA, prudentissimè sic constituente Rege Sigismundo Tertio, relatum illum in istud album solemni gratulatione prosequeris. Quid ominer tibi Illustrissime Leo aliud, quàm quod nomen tuum præfert? Leo & Leonino, procul dubio, ages pectore. vteris inueteratâ tua illa consuetudine, qua semper contra diuinæ gloriæ impugnatores vsus fuisti. Quid tibi, Illustrissime Præsul, nisi vt, qui Benedictus es, efficias, vt bene tibi ab omnibus dicatur. Efficies autem, si quod in vrbe per Apostolicam sedem decretum est, id curaueris, vt, non solum in hac tibi subiecta prouincia, sed in toto Poloniæ

regno, atq; adeò in vniuersis finitimis oris executioni mandetur. Nolo à te pluribus id petere, culmen ipsum Apostolicum hoc abs te requirit, hoc tuum munus Pastoritium exigit, hoc illa tua pristina cura & sedulitas flagitat, hoc deniq; hic illustris Christianorum cœtus sua te celebri frequentia ita tacitè postulat, vt, si ego meo nomine plura iis adderem, videri possem, vel illorum votis, vel tuæ industriæ diffisus esse. Quod sanè si facerem, in te & tuam virtutem grauissimè peccarem. Dixi.

Hæc Labarothetæ fuit oratio. Eam sua M. D. Lithuaniæ magnus Cancellarius excepit supra mihi dictus, at quâ illa? de grauitate nihil quæro, LEONIS fuit: de sapientiâ nihil, SAPIEHÆ fuit: de prudentia nihil, Senatoris fuit: de elegantia nihil, Cancellarij fuit. Sed quid pro hibet gustandam exhibere, & suo vultu tibi illam sistere. audi igitur.

Florem illibatum populi, suadæq; medullam. *Ille sic egit.*

ORATIO.

M. D. LEONIS SAPIEHÆ, M. D. L. Cancellarij, qui nomine S. R. M. S. Labarum excepit.

SErenissimus Rex noster SIGISMVNDVS III. si, quibus votis quo studio contenderat, vt ipse præsens, quem obimus hodie, S. Casimiri proaui sui, Diui nostri tutelaris solemnem triumphum oculis vsurparet, & cultu prosequeretur; eadem facilitate fuisset consecutus, eam profectò cepisset animo voluptatem, quam infra rem prope diceret, qui maximam diceret. Quod ne cui exaggerandæ rei dictum

videatur,

videatur, res ipsa inprimis testis esse potest: & pientissimi Regis in eo perficiendo summa quædam cura, de quo perfecto, meritò hodierno die, quotquot sumus, vehementem in modum gaudemus. Nam tametsi olim iam perpetua omnis posteritatis memoriâ dignissimus Rex SIGISMVNDVS I. studium huc quoq; suum ac laborem impensè contulit, & meritis in communem patriam nostram, & plurimis, quibus claruit, mirandis operibus excitatus: adeòq; quod voluit, à Leone X. qui tum ad vniuersalis Ecclesiæ sedebat gubernacula, impetratum tulit, vt Diuorum adscriptus catalogo, statis publicè ceremonijs, & piorum votis coleretur, tamen re, variis causis, quas fusè tua, R^nde^ Dñe, oratio persequuta est, tractâ & suspensa, vt Regni, sic huius etiam negotij procuratio ad Regem nostrum, auo suo cognominem diuinitus, vt interpretor, deuoluta est. Hic igitur aui sui persequens vestigia, conspirante secum in operis tam sancti societatem, Reuerendissimo Vilnensi Præsule, pro studio suo Religionis proferendæ, pro pietate aduersus Deum, pro amore in amicos Dei, ita in illo est negotio versatus diligenter, vt nisi perficeret, regnum suum felicitate, ornamento Lithuaniam, lumine Ecclesiam sibi videretur spoliare. Perfecit, quæ Dei est bonitas, & ita perfecit feliciter, vt ea omnia quæ dixi in Ecclesiam, in Regnum Poloniæ, in Lithuaniam nostram abundè effuderit. Qua quidem ex re tanto lætitiæ per-

fusus

fusus est sensu: vt voluptas in eius mentem influxisse nulla vnquam videatur aut purior aut copiosior. Certè nec itineris molestiæ, quæ plurimę sunt, nec locorum disiunctio, quę maxima est, effecêre, quò minus coram ipse sanguinem suum ornaret, præsentem præsens, & eius triumphum lætus ageret, per quem in cœlos iam transcriptum tot ipsius & tantis est regnum triumphis cumulatū: sola Reipub. negotia, eaq́ue grauissima id fecerunt. His ita districtus vndique, vt expertē consilij, solutum curâ, vix vnum possit diē ducere, quod præsens parum potuit, id explere absens voluit: me ex reliquis suis senatoribus rerum agendarū Vicarium submisit: mihi partes mandauit eas quas ipse obiturus erat, si licuisset, videndi, audiendi. Equidem vt illud libenter fateor, non eum esse me qui pro dignitate has partes possim tractare: ita hoc nō diffiteor, vehementer gratulari mihi, qui ad id potissimum munus Regię Maiestatis voluntate delectus sim. Etenim non officium mihi iniunctum esse, sed collatum in me beneficiū, non onere me grauatum, sed affectum honore maximo sentio: adeòque sic statuo, & singulari Dei clementiâ, & Diui nostri, cuius læti agitamus solemnia, aduersum me benignitate factum esse, vt huius tam sancti negotij fierem particeps. Quo & diligentius profectò & accuratius quæ vidi, quæ audiui, quæ ex hoc loco accepi, ad S. R. M. perferre polliceor, ac iucundissimę rei nuncio, & recentissimo in terris Christi vicarij in eum be-

neficio

neficio eius animum explere. Nam Clementem quidē VIII. Pontificem Opt. Max. beneficium, pro suo munere pastoritio sanctissimo & augustissimo, pro eo, qui in has oras nostras effusus est, peculiari quodam affectu, summū esse & amplissimum S. R. M. impertitum, clarissimo patriam nostram decorasse ornamento, nos omnes, quotquot rei præsentis suspensi tenebamur hactenus desiderio, immortali sibi merito deuinxisse qs nostrum est qui non libentissimo animo fateatur, & gratissimâ voce vsurpet? Referendæ essent sanè illi gratiæ pares, si vel vires adessent pares, vel res ipsa esset eiusmodi, quam vlla gratitudo posset attingere. Nunc verò tanta illa est, vt eius ita ingenium meum debilitet recordatio vt in eius vel nudam commemorationem ingredi verbis vix audeam. Quicquid tamen est, ne plus videatur apud me valere imbecillitas meæ conscientiæ quàm accepti beneficij memoria, SS. Pontifici quas possum animo concipere maximas, quas possum formare cogitatione summas, hoc est, immortales ago gratias nomine S. R. M. inprimis, nomine meo priuatim, nomine qui hic adsunt, vniuersorū, qui hoc tanto bono suo, hoc rei tam optatæ, tam fœlici euentu felices se ducunt & beatos. Quod reliquum est, cùm aliud nobis exprimendæ gratitudinis non suppeditet argumentum, DEVM Opt. Max. supplices oramus, ipsius Sanctitatem suo gregi, suo ouili, suæ Ecclesiæ quàm diutissimè, quàm florentissimam, quàm fœlicissimam

licissimam conseruet. Sed & tibi R^{de} Dñe, qui hinc à S. R. M. ad sedem Apostolicam legatus, auspicio in primis Serenissimi Regis nostri, Antistitis deinde vigilantissimi suasu, præsens effectum nobis negotium dedisti studio tuo, cura & industria singulari, desideria nostra variè nutantia, & quasi intercisa, confirmasti primum, deinde repleuisti, prope dicerē superasti, quà S.R.M. quà nostrûm omnium nomine, gratulor potius quàm ago grates. At à Serenissimo quidem Rege nostro illud prolixè tibi polliceri habeo, eum memorem laborum tuorum, id daturum operam, vt in mentē tibi venire nunquam possit eorum pœnitere. A nobis autem priuatim illa omnia semper certus expectabis, quæ vel in rem tuā esse, vel à nobis tui amantissimis in te proficisci poterūt. Me quod nominis mei omine mones, vt patroni communis amplificando honori & prouehendo, quantum in me est, studeam: illud vt gratissimum mihi accidit: ita debere me quod possum totum libentissimè agnosco. Contendam igitur omnibus viribus, id agam, in hoc incumbam vt, quantumcunq; potero, quicquid potero, id omne semper huc conferam; adeòq; tum me fœlicissimū iudicabo, cùm huc vt quamplurimū conferre possim dignum me iudicari sensero. Vt autem vel aliquid tale possim te, Beatissime Casimire, vt mihi tribuas supplex veneror'q; colo'q;. Dixi.

INiurius sim in iudicium tuum, si quæ dixi, euoluam LEONIS grauitatem, SAPIEHÆ sapientiam, prudentiam Senatoris, elegantiam Cancellarij. Vides illa, nec tantum illa, vides plura. Vides sapere SAPIEHAM sed sapere piè: vides non grauem tantum esse LEONEM, sed esse suauiter grauem: vides non prudentem tantum Senatorem, sed prudentem religiosè vides. Sed alius Panegyricus mihi nascatur si vel quæ vides, vel videre potes, velim videri ab omnibus.

Ad Vilnensem antistitẽ dicendi ordo peruenit. *Quid putas orationem haustam è triuio, & non potius delibatam ex ipso cœlo? Hoc certè vltimũ putes necesse est, si eum apud te animo informasti Præsulem, quem tibi depinxi suprà et depinxi ad rigidum verum. Hem, quo ille dixit cum pietatis sensu, quo cum pondere verborum, quâ cum significatione erga DEVM gratitudinis: erga Dei Vicarium subiectionis! Quos ille in audientium animis ad pietatem, ad Dei & cœlitum cultum stimulos reliquit fixos, immò quam flammam, quos ignes accensos! Sic enim inquit:*

Regem V. Lithuani Rex vobis Regum Apostolum dedit, circumfusis adhuc gentilium errorum tenebris, illigatis vanissimorum Deorũ stultissimis superstitionibus, hic vos Christo inseruit, cœlesti doctrinâ imbuit, pietatis præceptis atq; institutis sanctè informauit, hic quos coluistis lucos excidit, ignes extinxit, arbores deiecit, serpentes exterminauit. Quid vultis amplius? Regis vestri filium, Regis nepotem, Regem, si voluisset, ipsum, cuius apud vos infantia vagiit, pueritia adoleuit, iam dat tutelarem ab hostibus variè circumcessis. Quid vultis? Deo bonorum tantorum largitori non agetis gratias? indigetem vestrum qua vester est non amabitis? quà princeps non venerabimini? qua Sanctus & inter sanctos non coletis?

Vereor ne si meis reliqua illius persequar verbis, Herculis, quod aiunt, cothurnos aptem infanti, & Mimum potius ridiculum agam quàm Mimiten solertem, qui cùm lumen exprimere debeat, inducat tenebras. Non attingit, non attingit angustia mea illorum ad copiam: humilitas ad altitudinem: ad sublimitatem abiectio. Prudenter, *inquit ille,* omittitur, quod præstari nisi insipienter non potest. *Omitto igitur non sine dolore, quod scriptam habere non licuerit, quod è dicentis ore subitam non exceperim. Illud Præsulis fecit facundia, qui orationem attulit, non domo delineatam ad regulam, sed foris expressam*

numine; hoc negligentiæ est meæ. Eam igitur accuso & pergo.

Peracta hæc fuerunt ad Diui Stephani, & ipso punctulo vnde itum est, eò reditur. Hic volo ad pompæ speciem repetas animo ordinem, quem suprà dixi, tenuisse eos qui supplicabant: vias etiam recolas, quas supra tetigi institisse. repetisti? recoluisti? Inspice easdem opacatas arbore, instratas fronde, coronatas flore. Inspexisti? Rectè habet. Idem ordo tenetur, eadem teritur via: eædem sunt partes psallentium, orantium, sua agentium eædem vices. Vnum mutauit. Interiecti fuerunt inter Mesthonensem Præsulem R. D. Nicolaum Pac, & canonicorũ, quorum vnus diploma Pontif. gessit, collegium Gregorius Swiecicius Canonicus, ipse Dalmaticam indutus palmatam, eleganter ad speciem; auro intextam magnificè ad splendorem, qui labarum ex vrbe tulit: eum ponè Illustrissimus Cancellarius, qui labarum sacrum manibus sustinuit, Diaconis cinctus duobus Dalmaticis amictis discretis filo argenteo, qui fatigato submitterentur.

De labaro. Figura fuit tetragona vt solet, latum cubitos nouem. altum octodecim, è panno serico, fili bombycini, coloris rufi: cuius oras circum circa in fimbriæ morem ambibant subtilia fila filis aptè & arctè conserta. Supernè crux enitebat argentea inanitatibus suis, quà in longum, quà in latum affaberrimè intercepta: ei, contus commissus erat, à quo labarum sustentabatur, arte eleganter politus, coloribus varius. Infernè, quà labarum spaciis intercisum erat rectis, oblongis, singula extabãt è singulis spacijs insignia, Summi Pontificis, Regni Poloniæ, Magni Ducatus Lithuaniæ, Episcopi Vilnensis, Senatus Ecclesiastici. ad latera hinc inde fluebant phaleræ textiles nodis suis implicitæ binis ternis. In ipso planè à fronte & tergo effigies expressa stabat Diui in campo aureo, habitu Ducis. At quæ effigies? quam profectò iniurius sim, vt lenissimè dicam, si cum Zeuxis, cum Apellis, cum Parrhasij contendam expressis his ad voluptatem, ad viuum illis, ad decorum illis. Frons ducem loquebatur quippe explicata & plana: vultus Sanctum, scilicet grauiter blandus, & blandè grauis: oculi virginem, nempe fixi, stabiles, intenti in cœlum, iniectis quasi stellulis scintillantes: breuitèr, singula venusta in corpore, singulas dotes in animo.

Frustrà es hic, si expectas vt Lithuani tibi populi expediam pietatem in sacrum labarum præsens intuentis, quod arsit tanto studio absens: vsurpantis oculo Diui effigiem tàm iucundè, quam mente quæsiuit tam piè.

piè. Quicquid obijcitur mihi pietas est, religio est, diuinitas est. Quare vt omnia summa dixero ego, vt omnia maxima cogitaueris tu: erunt tamen siue illa mea summa, infima, siue tua maxima, minima. Latinè dico non oratoriè, imo si vellem certè oratoriè non possem, cum omnis hic oratoria oratio videri debeat tantum Latina. Nemo fuit verè Catholicus, qui non suffusus quodam quasi calore cœlesti, plangeret, qui non triumpharet: plangeret ob peccata, triumpharet ob patronum: plangeret, quòd iudicaret patrocinio se patroni indignum: triumpharet quòd videret patronum patrocinio sese reputare dignum. Ne quæras de singulis: omnium idem sensus fuit, idem ardor: omnes vniuersè, pro se quisq; omnia facere bona, omnia dicere quæ fieri poterant, quæ dici: omnes in vota vocare Sanctum, ab eo spem expetere, ab eo auxilium: ab eo salutem hic lacrymis, ille suspirijs: ille gestu, iste voce: alius apud se tacitè, alius apud alios apertè, non tanquam à largitore, vt blacterat hæreticus stultè, sed tanquam à deprecatore, vt docet Catholicus piè. Quid multa? Scribentem me deuotionis quædam corripit flamma, quid putas audientem, videntem? Nimirum ipsa lilia sublata Sancti manibus, instillare & ingenerare, in animis cœli quendam videbantur amorem, cœlestium quoddam studium: ipsa tiara, ipsum sceptrum abiecta ad pedes, terræ odium, terrenorum contemptum. Ipsa aurea corona, quam pro vertice pendulam tenebant vtrinq; Angeli, gloriam & honorem cœlestem, hoc est, immortale cultæ sanctitatis præmium. Sed ego in labarum defixus obtutu, non sentio progredi supplicationem.

Pe[illegible]itur ad portam Rudnicensem. Huius portæ faciem supernè ars tribus discluserat spacijs, quæ auis in uolatum ventilantis alas referrent speciem. Singula spacia singulis instrata erant aulæis sericis, holosericis, rufis, viridibus, polymitis. Hûc venientibus ex ipso portæ frontispicio, seu, vt dicamus ad speciem, quam supra expressimus, accommodatius, pectore virgo aduersa se obijcit, seu certè virginem mentitus puer. Vilnam se esse ait. Quæ fuerit non discepto. Vilnensis certè vrbis omnes numeros ita expressit eleganter, ita partes egit concinnè, vt Vilna quantam virtutis semper tulit laudem suis factis, tantum laudis hoc die libârit fructum in sui imagine. In segniori sexu constans vox magnanimitatem: in constanti voce oratio elegans prudentiam: in eleganti oratione pia mens religionem Vilnensium repræ-

repræsentabat, ita vt Vilnam ipsam Gediminis antiquam existimem, si videsset hanc Vilnam nostram, gauisuram fuisse, quod nouam aliam Vilnam post tot intercurrentes ætates tam lepidam, tam sibi similem peperisset, tanquam Plautinus Sosia alium Sosiam. Hæc, siue Vilna, siue Vilnæ filia, vt nihil loqueretur, facilè tamen tibi & frons rugis inarata, forma neglecta, vestis eorum qui in luctu iacent & squalore sordidata, pulla, quæ lis esset dicerent afflictam: loquitur tamen, immò queritur, texit catalogum malorum quibus prematur longum, bonorum quibus careat tristem: incusat tempora quæ circumstent pessima, spem quæ relicta sit nullam: breuiter, in communi omnium lætitia aures suorum vulnerat oratione, gestu, lacrumis, aliis quæ si persequi velim singula, nomenclatore mihi opus sit. Tu lege.

Vilna quiritans.

SVmme parens, quem res hominum regere atq; Deorum
Meq; meosq; iubet credere sancta fides;
Sancta fides quam luce tuâ lustratus & vnda.
Tradiderat princeps antè Iagello mihi;
Heu quæ meq; meosq; premit fortuna tot annos!
Heu mala quanta fero, quanta feruntq; mei!
Obruor ærumnis, pertristibus vndiq; fatis
Cingor, & ad lacrymas me mea damna vocant.
Dum sua speratis non messibus horrea complent,
Vincta repentino prædia nostra gelu.
Meq; meosq; fames & rerum oppressit egestas,
Bellonæ rabie prænimis aucta fames.
Et numerosa mihi soboles vi perdita Martis,
Et rapti ciues peste fameq; mei.
Dum iuuo Liuoniam, dum fortiter obsto coactis
In proprium Regem bella ciere Gothis,
Non possum non damna pati, non vulnera ferre,
Milite ruricolas dispoliante meos.

Viuitur

Viuitur ex rapto: quas non agit improbus hostis
Prædas ex agris ex grege, miles agit.
Mens meminisse horret, visu Sol ipse refugit.
Dequerar? an sileam? quid siluisse iuuat?
Omnibus exhaustos, tot abactibus, inter agrestes
Finitimos, miserum, perstimulante fame,
Tetra Thyestææ repetita tragœdia mensæ,
Estur, vt effossâ, putre cadauer, humo.
Num satis hoc? vltrix accreuit numinis ira:
Dira lues annos me populata duos,
Hanc portenderat anticis inarata domorum,
Plurima, in vrbe meâ, lurida lineola.
Nempe tui timidis ea signa, minacis vt arcûs
Spicula defugerent, ô Pater alme, dabas.
O quæ signa dabis laxati mitior arcûs?
Quæ Deus ô positi signa furoris erunt?
Fama quidem certat mœrorem demere dictis,
Dum mihi cœlestem nuncia spondet opem.
Spondet opem, Casimiriacos vbi spondet honores
Affore & Indigetis publica Sacra mei.
Hoc mihi si Clemens Pater atq; Vicaria cœli
Roma det, eripiar mox, reor, hisce malis.
Nempe fatigatus communi voce Patronus
Sæpe fatigabit supplice voce Deum,
Iam toties mihi verba dedit, iam iam affore dixit
Fama Sacrum labarum, sed mera verba dedit,
Apparo; nil tamen apparet cui tanta parentur,
O vtinam hæc mihi lux spem velit esse ratam.
Spes alit & fallit, fortuna miserrima nostra est,
Et queror, & questus continuare iuuat,
Continuare iuuat gemitus, suspiria, luctus,
Lugendi causas continuante polo.
In solitas lacrymas i Vilna miserrima; non est,
Non est à lacrymis qui reuocare queat.

Solates

Solantes Angeli.

Angelus primus.

Huc oculos, huc flecte animum, tristissima Vilna,
Adsumus à lacrymis vt reuocemus, iô.
Ang. 2. Detur iô clamore virûm, clangore tubarum.
Vilna triumphabis, detur iô, ter iô.
Vilna. Quis nouus hic clamorq; virûm clangorq; tubarum
Nos vocat? Et quosnam carpimus aure sonos?
Conspicor Aligerûm turmas, dabo vocibus aures;
Fors mihi mœrenti nuncia læta ferent.
Ang. 3. Conspice Vilna sacrum labarum pompamq; sequacem,
Vultus indigetis conspice Vilna tui.
Ang. 1. Quod felix faustumq; tibi, sit Vilna, tuisq;,
Quod sancto Indigeti sit perhonorificum;
En tandem valuêre preces. quæ, Vilna, tot annos
Optasti, ante oculos in manibusq; tenes.
Christisoni antistes CLEMENS octauus ouilis,
Confirmans Decimi rite LEONIS opus,
Indigetem CASIMIRVM, ortum cognomine, Rege,
Miraclis clarum quem tua templa fouent.
Ornat, & instituit, quàm latè Sarmata regnat,
Publica ei æternis festa colenda sacris.
Insuper hoc labarum tibi mittit, vt inde Patronum
Esse tibi promachum signiferumq; scias.
Et dubitabis adhuc optati compos honoris
Lætari, tanto munere facta potens?
Ang. 2. Vilna bono tanto gesti, lætare, triumpha,
Squalentes cultus pone, resume nouos.
Ang. 3. Vilna resume animum, noua gaudia, Vilna, resume:
Pone dolorem, omnis causa doloris abest.
Ang. 4. Tristis hyems abiit, formosior appetit annus;
Omnia nunc rident: soláne Vilna gemes?

Ang. 5. Vilna tot annorum te tandem soluito luctu,
Iamq; voluptificum da super astra melos.
Ang. 6. Vilna querelarum iam desine, claude genarum
Riuos, sat fitui, sat lacrymisq; datum.
5 Gaudia Vilna moue plausus & ad æthera tolle,
Æther letitiæ testis & esto tuæ.
4 Vilna triumphali tua mœnia cinge coronã,
Fac decorent postes laurea serta tuos.
3 More triumphali votiuas excipe pompas,
Per tua lætisonos compita coge choros.
2 Duc redimita rosis, feriens chelyn, agmen ouantum,
Lætitiæq; tuos ad genus omne voca.
1 Sterne viam violis, tua compita sterne Smaragdis,
More triumphali Vilna fac omnis eas.

Vilna recreata.

O vbi sum? quid ago? vigilóne? an somnia ludunt
Sopitos sensus? veráne percipio?
Vix me ipsam capio, mentis vix hæreo compos,
Pertentant animum gaudia tanta meum.
Antevt amaror erat mihi nunc est flere voluptas;
Eliciunt lacrymas gaudia, vt antè dolor.
Nunc dolor omnis abit, mœroris nubila cedunt;
Nil nisi lætitiam mens agitare potest.
Quid magis in votis habui, quid sæpius vrsi,
Atq; hoc patronum poni in honore meum?
Me ter fœlicem, me terq; quaterq; beatam,
Quam pia diuino pignore Roma beat?
Non me lætantem decet exin obater amictus:
Est Mage conueniens luctibus ille color.
Sit mihi picta croco & fulgenti murice cyclas;
Torquibus auratis lactea colla micent.

Ornent serta comas: radiet diademate vertex:
Sceptra corusca gerat Sardonychata manus.
Protinus hîc iussos iuuat instaurare Triumphos,
Et noua lætitiæ prodere signa meæ,
Faxo triumphales terni statuantur vt arcus.
Fallor? an hos statuunt templa, lycea, forum?
Ipsa triumphali vehar exhilarata couino,
Exultim plebes ad latus ibit ouans.
Clerus, & ibit ouans docili præeunte iuuentâ,
Suauiter Harmonicum commodulante melos.
Omne sodalicium, chorus artificum ibit & omnis,
Signiferum resequens ordine quisq; suum.
Hic tremulo reboent crepitantia tympana pulsu,
Permistis lituis ductilibusq; tubis.
Dent caua, festiuis imitata tonitrua bombis,
Vt resonans æther intremat, æra sonos.
Lætitiæ nostræ sit conscius angulus omnis,
Lætitiæ nostræ conscius ipse polus.
At tibi, summe Deus, quas grates, quæue rependam
Munera, quæ meritis sint satis æqua tuis?
Vocibus Aligerûm tam me solaris amicis,
Quàm me vexarat cura dolorq; prius.
Non omnis video nostri tibi cura recessit,
Hinc mulctas, mulces me, Pater, inde ream.
Auspiciis, Deus alme, tuis hunc ducit honorem
Dux Casimirus, humi publica vota ferens.
Perq; ipsum supplex oro, per quidquid in ipso
Hîc tibi dulce fuit, me miserare Deus.
Propitius miserare, luem, Martemq; famemq;
Quæ tria sustinui verte flagella procul.
Pœnarum satis est haustum: mitescere nunc te
Fas erit, vltrices & cohibere manus.
Iam grates, quas mente queo quas fundere voce,
Fundo libens Regi Pontificiq; meo,

Quorum

Quorum ope, quorum opera magnumq; Patronus opum vi,
Hunc retulit cultum publica sacra, preces.
O proceres, ô qui colitis mea mœnia ciues,
Fundite cœlicolûm thura precesq; patri:
Indigetemq; meum Casimirum in vota vocate,
Cuius in hoc labaro vultus & ora nitent.
Agnosco, agnosco vultus, veneror'q; beatos,
Sic oculos Dux hic viuus & ora tulit.
O Casimire mihi visus feliciter esto,
Te mihi tutorem des & in astra ducem.

Angeli.

1 Fidere, Vilna, decet tam fidum nacta patronum,
Tutor hic omne tua pellet ab vrbe malum.
2 Hæreseôn furiale malum sensim auferet, vt sic
Antiqua Litauos relligione beet.
5 Gaudeat vt sectis, Ecclesia pace, resectis'q;
Grex pastore vno gaudeat ipse Dei.
6 Tutor hic afflictę tibi tempora læta reducet,
Pacabit Litauis astra Deumq; tuis.

Vilna.

Ergo agite ô ciues Patrono encomia vestro
Hic resonate, breui tollite laude Ducem.

Ciues.

1 Dux nostri Casimirus honos, 2 Noua gloria nostri.
3 Hic iubar est litauis, 4 Hic decus omne suis.

5 Hic lux Sauromatis. 6 Hic inexpugnabile robur.
7. Præsidiū. 8. Columen: 9. Spes. 10. Ratis. 11. Ara. 12. Salus.

Omnes. Hunc veneramur & hunc agnoscimus esse patronum,
Huius tutelæ nos fideiq; damus.

Vilna. Diue Iagellonide Litauûm decus atq; Patrone,
Non mora fert laudes hîc memorare tuas.
Cura piis quibus est Diuos celebrare poëtæ
Sudabunt meritis in tua facta metris.
Diuorum interpres memorabit & illa quotannis,
In patria festis cùm recolere sacris.
Interea tumulum votis cumulare iuuabit,
Ac dare relliquiis oscula mille tuis.
Iamq; patrone subi nostram feliciter vrbem,
Quiq; piè fruitur sit tibi gratus honos.
Ipsa triumphales inscendo choraga curules,
Famâ in pilento me præeunte suo.

Audisti hactenus versus, accipe versuum, si placet, sensum, quanquam simul ac audisti, quid vellent sensisti. neq; enim aut numeri sunt Platonici, aut Carcini poëmata. plana sunt carmina & ad vulgi captum ac commoda, notas tamen apprimo, ne quid in Quirino iure desideres.

Audisti Vilnam inde flebiliter lamentatam, hinc Angelicis solatiis recreatam: Quam omnia examussim præstita paucis mecum aduerte.

Ac inprimis quam apposite Vilna quiritauerit. quid refert dicere? Nosti fœminas. lacrymas habent paratas.

In statione suâ tantum expectantibus ipsis
Quo iubeant manere modo:

toties siccos gerunt oculos quoties spectator deficit, cum potiantur aut peti volunt videri. Quàm ex animo nescio, illud scio, nec Agathonem caussidicum cum reliquis suæ sortis in funere Claudij habuisse magis quod ploraret ex animo. O hæresis, iterum enim mihi appellanda es; quid monstri es immo quid monstri apportas? Quicquid olim Rebuspub. aut detrimenti libido inuexit: aut horrorum solitudo, aut pœnæ scelus, aut sceleris impunitas, id omne tu vna infers

ubi non-

vbi non dico figis sedem firmam, sed vel semel leue ponis vestigium. Tu es illud Palladium, quod simul ac ad Danaos nostros septentrionales venis,

Ex illo retro fluere, & sublapsa referri

Spes, *vt qui Vilnam olim aggregatam ad Christum compa*
ret cum Vilnâ prolapsâ ad Caluinum, ad Lutherum, rectè illud vsurpet. Fuimus Troes, fuit Ilium. *Hem: Illa quæ fuit in agris vbertas, in vrbe copia, foris formido, domi quies, in bellis fœlicitas, in pace securitas vbi est? Verum mitto hæresin, quæ si sapiat, Vilnæ quidem missionem petat ipsa, dum licet honestè, dum potest, tempestiuè.*

Vilna dum sic est, in planctu tota, en tibi subitò quasi Dei quidam ἀπὸ μυχανῆς, *adsunt Angeli, humeros alati, cætera veste niuea, pars rosas prætendens, pars lilia. Hi, quas dixi portæ alas confertim hinc inde occupant, & postquam Pæana suauissimè modulati festo plausu, lætis acclamationibus & illo triumphorum crebro io, aures omnium iucundissimè demulsissent, ad Vilnam orationem conuertunt, iubent bono esse animo, recipere pristinum robur, Vilnam esse, abijci non oportere, magnanimam esse, non debere, piam, pietati auxilium præsto esse à cœlo, à Deo per Casimirum, à Casimiro per Deum: id loqui cœlum, spondere Casimiri labarum, polliceri effigiem, ratum habere DEVM. Ergo ad solantium Angelorum alternos versus animum referas.*

Res inprimis dicere potest testimonium, quàm ea verè dixerint Angeli, & gaudemus potius apud nos, quàm dicimus publicitus, qui quasi ex interuallo longissimo illam primi nostri seculi Christiani regustamus suauissimam felicitatem.

Ceterum in exhilarata cœlitum alloquio Vilna, compertum fuit hic, quàm illud verum sit vulgatum; Difficulter creditur, quod in difficili positum, difficulter speratur: *in Vilna quidem, quæ eò vsque inter spem & timorem fluctuat, dum in eius oculum labarum incurrit. Nam hoc simul vidit, simul ita exilijt, vt tantum inundantis lætitiæ flumen, tantillæ pectoris sui angustiæ vix viderentur posse capere. Quare & in lætitiam se dat tota, syrma pullum ponit, siue abijcit, vestem sumit rigentem gemmis, rutilantem auro, coronat equos, currum triumphalem instruit, insternit, inscendit, ac labarum præuertitur lætabunda. Id ioculare fuit propè, quod ita gestijt lætitiâ, ita exilijt, vt penè obliuisceretur misera se &*

Vilnam esse, & in luctu fuisse. Quanquam iocularе non fuit, decorum fuit: cum fleant, rideant, in vtramq; semper partem nimiæ sint mulieres, & tum verè gaudeant, cùm ferè insaniunt. Habes artem, habes sententiam, num tibi factum satis?

Hic vbi hæsum est semihoram circiter, portam simul subijt labarum, & in porta vrbem. Populus viam latè occupans, modulans Symphonia, clangens buccina, strepens sclopus, tinniens campana tanta hic gaudij, tanta amoris præferebant signa, vt & populus suum defensorem: & buccina suum Ducem: & sclopus suum moderatorem, & symphonia suum Angelum, & campana videretur excepisse suum DEVM.

Hem penè exciderat. Accidit hic quod animos omnium admiratione compleuit & stupore: admiratione quia subitum, stupore quia inusitatum, inauditum. Vix in vrbe vestigium posuerat labarum, cùm ecce, Vilnæ nunquam aliàs notata, ciconia conspicitur. Hæc sidere primum super labaro pendula: mox in sublimius enixa, alis plaudentibus gyros circa illud agere, quasi festas choreas, cùm interim & tormenta maxima soluta, & scloporum vehemens fragor, non aërem tantum omnem, sed homines etiam percelleret: demum euolare ante sacram effigiem recta, & per omnes vias quæ supplicantibus erant præfinitæ, nusquam strigando, nusquam interiungendo, ad summum templum & D. Mausoleon contendere. Multus ab hac ciconia fluxit sermo multorum, qui erant & hæreticorum impia fraude, & Catholicorum recta præscriptione deuincti, horum mirantium, illorum delirantium. Catholici vna voce salutare augurium, tollere manus: hæretici eleuare, eludere. Catholici latentem in eo significationem intrà se euoluere: hæretici mentiri rem peruulgatam, vsitatam, procuratam. Mihi sensus quis fuerit vin' scire? Equidem sic colligebam apud me & sic agebam; Ciconiam quis nescit purgare aërem, aquas, agros, abripere ranas, exterminare viperas? Quid quæris amplius? Ciconiæ vicem esse nobis S. Casimirus vult. Vult profligare ab aëre luem, ab aquis contagionem, à campis infelix lolium, steriles auenas. Vult illas à lacu Lemanno & Albi exterminare coaxantes ranunculas: illas viperas ingratas, quæ in Dominum suum, in Regem suum coitiones faciunt nefarias. Hæc tunc mea sic fuit opinio, vt solet sub prima rerum, cùm optatur potius seriò quod bonum est, quàm speratur certò: nunc si quæris non opinio est, scientia est; cùm

videо

video aërem fauere, aquas lympidè fluere, luxuriare agros in segetem; rumpi à suaipsius prole viperas, ranas in suis cauernulis vix obscurè hiscere: quid hiscere? de summa rei desperare, volui dicere, adeò vt campanam iam emerint decumanam, grandem, exiguâ contenti hactenus, qua animam iam agenti & abiturienti ad plures Philumenæ suæ boni Pamphili compulsent. Scio hæretice, qua tu domo contra adferas, sed & ego domi habeo sexcenta quæ tibi obuertam. Abi musca non est hic locus tuæ impudentiæ.

In foro qua venientibus curia læua est, arcus fuit erectus triumphalis, immò populi Vilnensis trophæum. Trophæum de barbarie, vt ames magis, populi Vilnensis, vt mireris minus: vtrumque vt erubescere discant tandem qui in hac etiam ingeniorum luce barbariæ notam inurunt Lithuaniæ. Quid ni autem trophæum appellem? appello & affirmo tibi, si qua in re vnquam in eo describendo cupiam esse Liuius, esse Xenophon: non ille Liuius grauis qui est cùm tonat bella, sed ille vinctus qui est, cùm triumphos nobis das Cæsarianos, Pompeianos: nec ille Xenophon serius qui est cùm præcepta ponit Regibus, sed ille suauis qui est cùm spectacula nobis pingit Cyri, Alexandri. Culta cogitas? ingeniosa sunt omnia. putas ingeniosa? illustria sunt singula. ne vel iudicij putes vanũ vel laudis largum, rem vide.

Altus fuit arcus pedes sexaginta, & eò amplius, latus triginta circiter, porta disclusus hinc & hinc peruiâ, concamerata in morem fornicis. Reliqua eius species hæc fuit. Tectum æquabili & eleganti opere paullatim sese attollens leuiter in gibbum coibat curuatum, quasi in retusæ lineæ. Ab eo turriculæ proferebantur quinque altæ quælibet pedes sex, septem, latæ totidem: quà à sui imo in rotundum sese sinuabat, vtrinque à fronte à tergo duæ: quà in medium supremum excurrebat verticem vna: illæ tribus insignis quæque globis sibi per interualla à fastigio succedentibus porrectis in longum, quorum medius ouum, extimi duo pyrum æmularentur, extremo fine in sphæram desinebant, hæc longè latèque aquilam ostentabat sculptam, versatilem. Diadema illi in capite, obtutum recta in solem defigebat. vnguibus complexus orbem extantem è globo turbinato. Partis aduersæ (nam auersa tapetibus, aulæis, peristromatis velabatur tota) summa corona eminentiæ supremæ præferebant hinc S. Georgium concitato equo immergentem in fauces Draconis lanceam: inde cataphractum equitem: illum patronum, hunc insigne Lithuaniæ: vtrumque affabrè sculptum, coloribus di-

spersum eleganter. Quod inter hos et portam fuit interiectum spacij hæc habebat. S. Casimirus nixus genibus ad pulpitum holoserico instratum prasino, oculis defixis in crucifixo, manu librum explanat. Inscriptæ voces libro hę: Cor mundum crea in me Deus, Psal. 50. & è regione; pose fide sapientiā, quia auro est melior, holoserico illæ. Optimā partem elegit, Luc. 10. & interiecto spacio, viæ eius viæ pulcræ. Prouerb. 5. Latera ei claudunt dextrum S. Nicolaus: sinistrum S. Christophorus, similes sacrum verticem insigniturіs coronā aurea, distincta gemmis, intere plexa lilijs. Hoc quia in illius tutela & subsidio latet Lituania inhuius patrocinio Vilna, vnde & Vilnen: emblemata ciuitatis hic obijcebat mae nifestè. pulcrè inumbrata, pulcrius variegata albo, rubro. Supra caput D. Casimiro emicans è nube Sapientia imminet manu, vna chartam proe mittens fluentem cum hoc elogio: Tene quod habes, vt nemo accipiat Coronam tuam: alterā librum explicatum cum his literis; L. S. Ad procumbentis pedes tanquam humi sita erant, stemma regni aquila alba. cristata: stemma Lithuaniæ eques Panoplitos, redimita illa Ducum anae demate, tiarā auro coruscā, rutilā gemmis. Epigraphe hic primaria. Sanctus inter Sanctos, castus inter castos. Hæc partis in portam ine cumbentis fuit facies, Iam traiectæ hic habitus erat, hic color. Columnæ latæ, quibus fulciebatur machina cætera, præferebant imagines, Eccle siæ dextra, vnionis sinistra. Ecclesiæ in cœlum intuentis caput flammas & stricturas proijciens velut ignis, obibat columba: manus molem sustie nebant quasi templi: ad cuius fores cœli clauiger, pes calcabat alius hæree sin, alius Diocletianum: illam iuuenculam, inuolantem sibi manu in cae put, vt solent commoti, bucculentam, pinguem extento sesquipedem aqualiculo, planè vt Lutheri agnosceres filiam qui & ipse

pingui tentus omaso
rarum fuit & memorabile magni
Gutturis exemplum, conducendusq; magister:

hunc inculta canicie, squalente barba, gladium fractum stringentem manū. Frustra. Variæ hic passim sententiæ è sacris, quasi lemmata quædam in chartis pendulis, à manu Petri, Ecclesiæ, aliunde. Ecclesiæ dextera illud habebat; Reuertere auersatrix Israel, Ierem. 3. Sancti Petri istud: Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, Matth. 18.

Matth. 15 *Rursus illius hoc erat*. Cor eorum longè fecisti à disci-plina, propterea non exaltabuntur. Iob 17. *ad templi fundamen-tum legebatur*; Extra Ecclesiam non est salus. *in hæresis manu erat*; Quid nobis profuit superbia? Sap. 4. *In Diocletiani barba*; In gla-dio pereant. Oseæ 4. *In gladio*; Lassati sumus, Sap. 4. *Restat vnio. Ei vestis rutila. summum illius verticem lux lambebat, siue radius effulge-scens è nube candidâ. Manum dextram intendebat in cœlum, intentam eam è nube se iterum exerens manus alia stringit cum ramo oliuæ. Sinistrâ chartam ventilabat, in qua erat illud*; Conuertimini filij reuertentes, & sanabo auersiones vestras, Ierem. 30. *& illud rursus*; Si reuerte-mini & quiescetis, salui eritis. Isa. 30. *Pede prosubigebat, vno* Schi-sma, *altero* Rebellionem. *illud barba, capillo flauis: hæc fuscis, vtrumque vtroque contortuplicato, impexo, hispido.*

Satis, puto, videor verus de Lithuaniâ, de ingenijs, de trophæo, possum certè: nihil est, illud efficere volo, non tam verus habear, quàm veri parcus. Romani gustu suo siue promulside eos præbebant cibos, qui gulam potius irritarent, quàm satiarent: hoc fecit populus Vilnensis, ea incurrere in oculos prima voluit, quæ allicerent, non quæ pascerent. Facilè videbis, si attendes. Ab extremis igitur, quas dixi, columnis, ducebantur vtrinque pa-rietes aduersi (alas rectius dixeris) obliquè flexi, & quasi diuaricati: corniculati præterea qualis esse Luna solet, cùm à Solis se congressu paulla-tim explicans, aëra obscurè comprehendit. Alti erant pedes 102. longi 50. medios hos hinc illinc dirimebant, extremos etiam claudebant turres altæ quæque pedes circiter 30. insignes tecto rotundo, & editis ex eius cul-mine ternis globis vna serie, suis tamen intercisâ interstitiolis in sublime se ferentibus, forma extimis pomi, intermedio pyri. Parietes summos pinnu-le insidebant, complures spacijs suis diremptæ, eleganter fastigiatæ siue cacuminatæ, singulæ in singulos exeuntes globos: in quibus id ad pompam erat ornatissimum, quod telis filo intextis, partim aureo, partim argenteo, variè impliciti & bracteolas inauratas illigati, vento eos impellente lenè quid crepitantes quasi fulgurantes. Quod reliquum fuit in his parietibus peripetasmata integebant quatuor picta. Vt mireris Lithuanos, laudes Vilnenses, en tibi singula in singulis picta, scripta.

Primum ista habebat, Picta. Virum senem, barba promissa, capite, pedibus

pedibus alatis, seminudum, læuum humerum horologium suspensum cum gnomone. Hic loris manu adductis, Casimirum contra obtuens; equos tenet duos album, nigrum: illum loco positum aspero prærupto; hunc facili, plano. Fœminæ illi comites duæ. Altera prætendens lilia oculis in Casimiro tota est. Et hæc suggerit; Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, Apocal. 3. *Altera adolescentem dexterâ prehendit egressum dum ex ephebis, bene habitum, bene curatum, nitidum præterea, comptum. (Polonum vestis loquebatur, leuitas aulicum) Huic occinit ista;* Vtamur natura tanquam in iuuentute celeriter. Sapien: 4. *Hic latera muniunt inde* Caritas, *hinc* Gratia, *illa manibus altera è corde eminentem crucem complexa, altera infantem: hæc caput insignis columbâ, manum libro euoluto. Hæc picta. Inscripta ista Velo supernè;* Fili. conserua tempus & deuita à malo, Eccl. 4. *infernè;* Memento creatoris in die iuuentutis, antequam veniat tempus, Eccles, 12 *Seni quâ vestitus;* Tempus dilectionis, tempus odij, Eccles. 3. *Caritati;* Caritas ædificat, 1. Cor. 8. *Gratiæ;* Gratiam & gloriam dabit Dominus, Psal. 83. *& iterum;* Mansuetis dabit gratiam, Prouerb, 3.

Alterius hæc erant. S. Casimirus arrepto & insesso equo albo, semitam insistit asperam; hæret, hærentem multa specie officij, vultus, humanitatis ad se duo senes inuitant. Offerunt eminus alter calculos precatorios cum lilijs, alter volumen clausum. Equo subiecta hæc epigraphe, Viam veritatis elegi, Psal. 118. *Viæ quam tenent senes ista;* Hæc est patientia & fides Sanctorum, Apoc. 3, *Quam terit Sanctus illa;* Via regiâ gradiemur, Num. 2. *Ponè Sanctum dioptræ sparsim, & circini & sphæræ, & qui per ea auguria è cœlo captent. Inscriptio;* Sectati sunt vana, 4. Reg. 14. *Velum hæc obijcebat legentibus supernè;* Confortatum est cor tuum eò quod amaueris castitatem, Iudith. 15. *infernè;* Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini, Psal. 118. *Latus veli dextrum fulciebat,* Iustitia *vibrans gladium, promittens librum. In hoc legere erat.* Iustus Dominus in omnibus viis suis, Psal. 144. *&* Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda, Psal. 18. *Sinistrum* Prudentia *tenebat nitida speculo, formidabilis serpente. Ad illius basin erat;* Facite iudicium & iustitiam. Psal.

ab huius

ab huius; Principium sapientiæ timor Domini, & Scientia San-
ctorum prudentia, Prou. 19. *Hæc in secundo erant.*

In tertio. Inter Dei prouidentiam & Castitatem *medius Casimi-
rus, confectâ quam dixi viâ sistit: delabitur ex equo, figit gradum. In
eum ex orci erumpens flammis tria iacula,* Inuidia *intorquet: illa auer-
tunt & propugnantes pro Sancto,* Temperantia *calcans scyphum.* Iu-
stitia *iactans gladium.* Prudentia *quassans lampadem.* Fortitudo *te-
cta galeâ, amiciunt pallio* Perseuerantiæ. *Eum inuidiæ sic victorem ma-
nu prehensum, quà iter ad cœlum est, deducunt* Fides, Innocentia, Ge-
nius bonus: *ad se nutu vocant, è nubibus pendulæ,* Religio & Pietas.
*Sancto vbique in manibus lilia & prominens in longum charta. In eâ hoc
elogium;* Neque cum inuidia tabescente iter habeo, Sap. 6. Prouiden-
tia *insignita diademate fuit, protensâ sinistra, quam implicabat serpens
hiante ore ostendens pomum. E pectore illi Luna radiabat & Sol. Dex-
tera ostentabat regulam & bilancem, & in hac appensum orbem. Inscri-
ptio hæc;* Tua iudicia in tua prouidentia posuisti. Iud. 9 Castita-
tem *lilia ornabant & liber explanatus. Elogium hoc;* In omni castitate
& pietate. 1. Timoth. 2.

*Quartum velum mensam inprimis exhibebat tessellatam, nudam, in-
scriptam;* Cor meum vigilat, Cant. 5. *in ea pyxides tres clausas, pa-
tellam cui ansarum vices, alæ, in hac cor vomens flammas. Ad hanc men-
sam prostratus in genua Casimirus, adstrictus cilicio proximè cutem, preci-
bus totus sese in Deum profundit. Suprà illum fusæ cernuntur* Oratio &
Eleemosyna *cum sphærulis precatorijs illa, cũ loculis ista. Hac parte vna.
Hinc erectum in pedes Sanctum sistunt Deo* Religio & pietas: *con-
culcantem eum diadema, sceptrum, tiaram, exuunt purpuram Ducis morta-
lis: induunt vestem niueam Sancti immortalis. Latus hic vnum insigne
est* Pace, *alterum* Fiducia. Paci *inter manus exeunt hinc geminæ co-
lumbæ, illinc gladius & virgæ, Inscriptio,* Pax multa diligentibus le-
gem Domini. Psal. 118. Fiduciæ *dextram diploma implet exsertum,
sinistra in pugnum contrahitur. Inscriptio;* In timore Domini fiducia
fortitudinis, & filiis eius erit spes, Prouerb. 14. *E velo extabant
hæc parte superiori.* Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, &
non delebo nomen eius de libro vitæ, Apocal. 3. *Parte inferiori;*

Placens Deo factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Sap. 4.

Quæso te, potéstne aliquid ad speciem pulcrius, aptius ad rem, magnificentius ad pompam? & dic, amabò, barbariem hæc sapiunt? Rerum omnium parens est Tempus, benè, malè, piè, impiè transigas, in te situm est, bone Casimire elige quod vis? huc Voluptas, illuc Virtus, huc sensus vocat, illuc ratio, sequere quam vis, nonne est hoc ingeniosum? ingeniosum, id innuit primum, Institit S. Casimirus viam virtutis, viam castitatis, quibus, bone DEVS, sentibus obsitam, obstructam salebris? qui potuit illam percurrere sine prolapsione? emetiri sine manifesto discrimine, in illo præcipiti potentiæ, in illo adolescentiæ lubrico. Potuit, quia institit etiam orationi, institit meditationi, recto est oculo contemplatus cœlestia. Nonne est iste sensus peracutus? peracutus, eum penicillo & colore expressum habuit secundum. Voluit infernus Casimirum deijcere de tramite, quem currebat; armauit in eum concupiscentiam carnis; agere in præcipitia allegauit concupiscentiam oculorum: auertere à cœlo, submisit superbiam vitæ. Frustra, perstitit Sanctus, perstitit; vicit illam Temperantiâ, *istam* Iustitiâ: *hanc* Prudentiâ & Fortitudine, *omnes simul* Perseuerantiâ: *muniuit sibi ad cœlum gradum* Fide & Innocentia. *Nonne neruosum est hoc? neruosum. Id loquitur tertium. S. Casimirus dum solum ardet DEVM, spirat cœlum, quid facit? quid? mittit sub iugum sensus, cohibet affectus temere vagantes, vitiorum stirpes elidit* Oratione, *euellit* Ieiunio, *extirpat* Eleemosyna *Verbo. Est Sanctus. Quid inde? Captat rumores? Venatur gloriolam? aucupatur plausum? pulcrum sibi ducit notari digito, dicier, Hic est? Absit. Occulit omnia, claudit animi sui vnius perangustis cancellis, quasi pyxide definit. Quid multa?* Religione *duce, comite* Pietate *perrumpit nubes, transmittit cœlos, penetrat se ad DEVM. Nonne pulcrum est? pulcrum. Id ob oculos statuit quartum. Sed quæso te* Fiduciæ *mihi in hoc velo intuere imaginem. Nonne loqui videtur dum euoluit diploma DEI cum suis pactum: dum stringit manum, nonne clamare pactum, fixum, ratum, immutabile & cui, tutò fidas. Nonne lepidum est? nonne elegans est? Sed ineptus ego, qui impedio tuum cursum, cùm satis videas omnia esse tam ingeniosa, tam acuta, tam neruosa, tam pulcra, vt contrà quàm sentiunt quidam, agnoscas*

posse

poſſe Lithuanos noſtros, & Germani ingenium felix, & Italorum iudicio
um accuratum, & Hiſpanorum acumen limatum aſſequi, ſi paullulum ner-
uos intenderint. Odi, *ait ille apud Terentium,* nimium diligentes, &
iocularesſunt minutè diligentes. Quanquam ego quidem non eſt, cur vere-
ar illud odium in re magnâ, hoc ioculare in re ſeria: illud vereor potius ne
mihi dicatur κύων σπεύδουσα τυφλοὺς τίκτει *Nam vt ſorex mihi fiam,*
me prodam ipſe. in tectis, in parietibus, in turribus, in globis hæc albicantia,
nigrantia iſta, rubentia illa, quædam viridantia, flaueſcentia quædam, alia
colorem ducentia violæ, alia liguſtri, alia calthæ, alia cyani, hoc eſt, pratum
illud ſuis diſperſum floribus paßim intermicantibus, hortum illum ſic diſtin-
ctum ſuis areolis, ſuis puluillis variè interlucentibus cur omitto? illa aulæa,
illos tapetes, illam veſtem ſericam, holoſericam, villoſam, palmatam, hete-
romallam, byßinam, Attalicam paßim inſtratam, hoc eſt præla illa & arcu-
las ſuis Syntheſibus radiantes cur ſileo? cur? niſi quia Tullium hæc quæ-
runt, non Quirinum, qui hanc ſpeciem veris variisq; dictionis ſuæ colori-
bus effingat & exprimat: immò nec Tullium; nimis molles ſunt illius
nerui ad hanc maieſtatem triumphi, ad venuſtatem flores, ad varietatem
veneres ſed orationem illam quam Tullius magis finxit animo quàm effin-
xit dictione: niſi fortaſſe hic quoq; minor ſit, quàm qui poßit ſingula hæc
ſingulis aptè veſtire, maieſtatem neruis, venuſtatem flore, varietatē Venere.
Ordo ad hunc arcum pompæ præfinitus fuit iſte, res rebus ita nexæ,
vt aduentans labarum ſalutarent Muſici, Muſicam exciperet Dialogus
Polonicus: Dialogum tormentorum fragor, ſcloporum ſtrepitus, omnia hæc
terminaret ludicrorum ignium hilaritas. Salutarunt, exceperunt, ter-
minarunt Muſici eâ ſuauitate, præ qua iure contemneres illam tranſacti per
ſuos vortices cœli harmoniam Platonicam vtvt laudatam. Dialogus ea dex-
teritate vt facile careres Roſciis & Turpiliis. Tormenta eo numero quem
vel ſtuperes in pugnâ. Ignes eâ arte quam vix quæreres in Lithuaniâ. Vt
finiam. De Muſica fuit admiratio, de Dialogo plauſus, de tormentorum
fragore, ſcloporum ſtrepitu horror. Quid de ignibus? an omnia? Tu iu-
dica. Res ſic habuit. Turris excitata fuit in foro medio, in ea ſimulata è
papyro arx, ſimulata propugnacula, plena omnia & quaſi grauida pyro-
bolis, & puluere nitrato armatis ſiphonibus. Ad hanc è curia filamenta
commeabant ferrea tranſuerſa, longa, tenuia, vt oculorum aciem effugerent:

 inceſſus

incessus per ea iis, quos dixi, ignibus imò volatus variâ figurâ auium, equitum hastatorum. Hi postquam in papyrum inciderunt, eam inflammarunt: punctulo concepto igne quæ in arce nitrata, sulphurata, qua data porta eruperunt, perruperunt. Vin' impetum quo? Stellæ per inane volare videbantur aut cadere. Vin' multitudinem qua? alia in ignes consi-dere credi poterat.

At ne quippiam hîc à me omissum querare, en tibi Dialogum Polonè datum: cuius interpretem, vel in media Germania, si studiosè quæsieris, inuenies. Hæc epoche. doctæ à cœlesti genio, 4. principes Virtutes de pompa Casimiriana, gratulabundæ spem concipiunt, stabilē se fixuras deinceps in Lithuania gradum; sui cultum inibi celebratiorem fore, duce & auspice D. Casimiro, virtutum omnium absolutissimo archetypo, cuius in laudes hinc Virtutes, inde totidem Angeli excurrunt.

DIALOGVS POLONICVS.

Mocność.

Co zà przyczyná zgiełku ták wielkiego/
Nigdy nie pomnie Tryumfu tákiego.
Co sie wzdy dźieie/ skad táka odmiáná?
Skad wszego ludu rádość niesłycháná?
Ná ktorakolwiek strone rzuce oczy/
Ano sie zewszad lud wesoły toczy.

Mierność.

Temu sie y ia pilnie przypátruie/
A nie poymuiac wielce sie dźiwuie.
Znáć że dźień iákiś w mieśćie známienity/
Bo sie lud widze ziáchał rozmáity.

Rostropność.

Mnie sie zda przednia tá przyczyná tego/
Ze tu Bog ziáwił coś niezwyczáynego.

Spráwie-

Spráwiedliwość.

Dowiedźiećby śię/ wßák tu nic zdrożnego/
Czego ſam niewieß zopytay drugiego.
Cni towárzyße/ proſim niechay wiemy/
Co to zá Tryumf ktory tu widźiemy?

Anioł.

Tá to Chorągiew ieſt przyczyna tego/
Ktora ßle Páſterz Kośćiołá Rzymſkiego:
Dáiąc świátu znáć/ że Káźimierzowe
Spráwy/ wynoßą co dźień cudá nowe.

Spráwiedliwość.

Abo śię tu co znowu pokazáło/
Co ią áż z Rzymu przyſłáć przymußáło?

Anioł.

Záwżdy Bog wielbi ſwoie przyiaćiele/
Iáko ná dußy/ ták też y ná ćiele.
Ale też Krol z Páſterzem miáſtá tego/
Weſpoł vżyli Biſkupá Rzymſkiego.
Aby wßytek świát wiedźiał doſtátecznie/
Że iuż Káźimierz świętym ſłynie wiecznie.
Zá czym z mándatem ßle proporzec táki/
Aby go wßedźie czćił narod wßeláki.

Spráwiedliwość.

Toſmy tu tedy práwie w czás tráfiły/
Byſmy weſela z mießczány záżyły.
Iam śię záiſte w tym kráiu kocháłá/
Y częſtą tu ſwą vćiechę miewáłá.
Lecz iáko tuße iuż mię bárźiey zneći/
Tá cna kráiná do niezłomney chęći.

Iuż spráwiedliwość tu ważnieysza będźie/
W Wileńskim mieśćie/ y po Litwie wszędźie.
Bo tuż przy oczach Káźimierzá cnego/
Nie dopuśći się nic nieprzystoynego.
W kupiach/ w frymárkach/ y w szynkách potocznych/
W tárgách/ w Arendách/ w płacy sług dorocznych.
W káżdym Contrákćie mogę ślubić zá nie/
Że káżdy z mieszczan przy mym boku stánie.
Bo mnie Káźimierz ták poważał sobie/
Że mię tu bronić iest gotow y w grobie.
Ktorą z swym stanem Krolewskim spoiona/
Nośił zá perłę drogo osádzoną.
Oddał cześć Bogu/ vczćiwość stárszemu/
Miłość Oyczyznie/ oddał chęć bliźniemu.
Rádźił niebácznym/ vpádłe rátował/
Żebráká z Pánem zárowno szácował.
Nigdy nie szukał pożytku własnego/
Wszytkim pomágał z sercá vprzeymego.
Nędznym w potrzebách ochotnie dogadzał/
Z ziemskiey roskoszy ták bárzo vchadzał/
Iáko wiec winny ze zdrowiem vchodźi/
Gdy mu ná gárdło prawny dekret godźi.
Znáią te szále w rzeczách iego wagę/
A w świeckich pomiot/ y w świętych powagę.
Chowáią znáki świętey ręki iego/
A chowáć będą áż do dniá sądnego.
Gdźie w swey osobie ták iáśnie záświéći/
Iák piękna zorzá gdy się z ráná wznieći.
Wiem że y teraz łatwie tego doydźie/
Że do mnie zá nim ták ten Narod poydźie.
Iáko ptaszyná kwápi się do dźieći/
Gdy wiec ná pászą opodal odleći.
Iáko żeláżo moc Dyámentowę
Czuiąc/ poddawa wszytkę śiłę swoię.

Mądrość

Mądrość.

Siostro namilßa ia nie wątpię o tym/
Ze ſię tu barziey vćießym napotym.
Boto Kázimierz ſwą przyczyną ſpráwi/
Ze ſię ten tu kray iuż znácznie popráwi.
Bo co (przez żywy Bog) te kośći iego/
Chcą procz náprawy Kśięſtwá Litewſkiego.
Ia ſię ná to (powiem wam) vſądzę/
Ze vpłatane z ich błędow wywádzę.
Mądrość mi imię: Nierząd gubię wßędźie
Nigdy w mym polu mieyſca nie ośiędźie.
Brát mi opátrzność/ przyiaćiel przeſtrogá/
Rozum przewodnik/ rozmyſł bita drogá.
W ſpráwách potocznych ßwánku ſię ſtrzedz każę/
Szczęśćie wynioſłych lekce ſobie ważę.
Myśli roztrząſam/ kałka ważę ſłowá/
To ma ośiádło ść/ to zbior/ to wymowá.
Pod ßnur rozumu wiodę wßelkie ſprawy/
Złe żądze wſpieráć to moie zabáwy.
Przeßłe vważam/ niníeyße proſtuię/
A inßych zguba vpor złych hamuię.
Tu wßytkie czáſy/ tu y rzeczy widzę/
Przeto więc z głupſtwa niezbożnego ßydzę.
Rádzę o dobrym/ każę to w czás puśćić/
Co potym muśi rad nie rad opuśćić.
Chwyć ſię mnie káżdy/ puść coć ćiáło rádźi/
Wiedz żeć pochlebna ráda ſwą záwádźi.
Tać to Gorgoná z cżłeká kamień kuie/
Gdy ſię ten z bliſká do niey przyßáńcuie.
A ſtoy ná pláczu boć przećiwna będźie/
Lecz gdy ſię oprzeß łatwie śił pozbędźie.
N Bellorofon nie raz oßczep ſkáźił/
Niż ludogłow ną Chimerę poráźił.

Sprawiedliwość.

Wiem że ty zemna tu masz zostáć wola/
    Lecz drugie śiostry pono nie zezwolą.

Mierność.

Nie odstąpim sie iuż tu wszytkie spokem/
    Káźimierzowi bić będźiemy czołem.
Bo więc y oracz z volá płaszczystego/
    Rad sie spodźiewa gumná pozornego.
Y kupiec szczęśćia po złym targu czeka/
    Acz sie więc podczás swey kupiey wyrzeka.
Po miáry nosze/ temi spráwy moie
    Mierze/ stąd Mierność włásne imię moie.
Nosze y monsztuk/ bo áffektow strzegę/
    A rozum w káżdey omyłce wystrzegę.
Ja okiem rządzę/ ia vcho vwodzę/
    Nigdy iezykiem na vraz nie godzę.
Ja stup meżnośći/ ia władam roskoszą/
    Do mnie wsze cnoty swe kleynoty noszą.
Rospustę skracam/ wszędźie zbytki tráce/
    Cnotliwym praca záwsze drogo płace.
Chcę też tu w mieśćie vrząd swoy sprawowáć/
    Y chce mey przeszłey vtráty wetowáć.
Sam mi Káźimierz do tego pomoże/
    Bo wiem że w Pańskiey świątni wiele może.
Snádnie wszytkiego czego chce dowiedźie/
    Y ten lud do mnie w ćwiczenie powiedźie.
Powiedźie mowię: iák Jeleń przez morze
    Swe stádo wiedźie/ świátkiem iásney zorze/
Albo iáko Gryf wiedźie miłe dźieći/
    Gdy z głodney strony w żyżne kráie leći.
Kto chce być przy mnie/ te kubki mieć muśi/
    Bez ktorych wygráć prożno sie y kuśi.

To mi przyiaćiel kto więc ńierząd dępce/
Kiedy mu iedno do vchá záßepce.
Zadna kráiná ßwánku śię nię boi/
Ktora ná grunćie mym sádzona stoi.
Latwieby táki ziemski krąg przeważył/
Kto zbytkow nie znał/ áni śię snadź ważył.
Y ieśli sławá kiedy świetna będźie/
Poniż v stokku miernego vśiędźie.

Anioł.

Szczęśliwe kráie przy tákiey ármáćie/
Látwie ßátáńskim naiázdom zdołaćie.
Gdźie przy mądrośći bronić mierność będźie/
A spráwiedliwość ná sądách záśiędźie.

Mocność.

Y mnie też proßę licz do pocztu tego/
Niechcę pozostáć towárzystwá mego.
Bom czwárta śćiáná Páńskiego Kośćiołá/
Y tu chcę zostáć/ tu chcę zostáć zgołá.
Męstwem mię zową/ ia słábe podeymam/
Y przeto ten słup záwße w ręku trzymam.
Tymem wspieráła Káźimierzá cnego/
Gdy iuż był skuśił żyćia pobożnego.
Zwłaßczá gdy boy wiodł z członkami włásnymi/
Przy miękkim łożu spał ná gołey źiemi/
Ktora ták łzámi hoynemi polewał/
Ze w nich zmorzony nápoły omdlewał.
Przy mnie Naświętßą Pánnę żarzystymi
Káżdey godźiny wsławiał rythmy swymi.
Przy mnie więc Páńskie rány ták rozbierał/
Ze ná krzyż pátrząc nápoły vmierał.
A przenayświętßą Mßą ták sobie słodźił/
Ze z vwáżánia od śiebie odchodźił.

Przy mnie rozboycy z niego ßáty zdieli /
    Gdy go w Kośćielney kruchćie w nocy ięli.
Czego on żyiac nigdy niechćiał głośić /
    Chcac iuż ochotnie káżda krzywde znośić.
Bo tám zápewne niemáß cnoty świętey /
    Gdzie więc przeważa brzemie krzywdy wźiętey.
Tym słupem wspárty dostapił madrośći /
    Y trwał poteżnie przy spráwiedliwośći.
Z ktora gdy śie kto w tym żywoćie zbráći /
    Záwżdy wygrawa / á nigdy nie tráći.
A fortuná go żadná nie pożyłá /
    Badź mu śie mile / badź ostro stáwiłá.
Przeto ia też tu należe do kołá /
    A znowu záczne tu moy vrzad zgołá.
Rozgośćże śie przy Káźimierzu moim /
    Muśi mi plac dáć vpor w polu swoim.
Chćiwość ouzdam / hárde myśli skroce /
    A bunty krwáwe do gruntu wywroce.
Sprochem pomießam niezgody burzliwe /
    Vtraca serce sekty nießczęśliwe.
Y pádna (da Bog) pomnićie ma mowe /
    Ze ie Káźimierz porázi ná głowe.
Bo ieśli tak był dźiećięćiem vczony /
    Ze wyßedł z losu Krolewskiey korony.
Jákoż mu teraz Bog odmowi czego /
    Tam stoiacemu tuż przy tronie iego.
Oschna bieśiady / pomstá iad vtráći /
    Nierzad swey woley gárdłem swym przypłáći.

Mierność.

Proße pokornie niech wam przerwe mowe /
    A wspomnie też tu praca Pásterzowe /
Ktora z poczatku vrzedu swoiego
    Chetnie podiał dla Káźimierzá cnego.

Spráwie-

Spráwiedliwość.

Sam mu Káźimierz/ ſam (da Bog) nágrodźi/
Gdy go Bog z tego ćiáłá wyſwobodźi.

Mądrość.

Niech pewien będźie/ że go tu do śiebie
Dozna chętliwym w káżdey ſwey potrzebie.

Mocność.

Nie da ſię chęćią Káźimierz przechodźić/
Ma páſterzowi praca ták nagrodźić.
Zeby y drudzy zyſk vpátrowáli/
A do niego ſię ták pßczoły zbiegali.

Mądrość.

Szczyć ſię Litwo z Káźimierzá ſwoiego/
Iż poßedł ze krwie narodu twoiego:
Patrz żebyś w iego tropách tuż chodźiła/
Byś kiedy nie rzekł że ſię odrodźiła.

Spráwiedliwość.

Wilno znay ten mur obeßły twą ſtronę/
Znay moc y śiłę/ znay Wilno obronę/
Przy ktorey ćię iuż zły raz nie dośięże/
Rácżey ná wolą podnogić vlęże.
A Káźimierzá otoczywßy kołem/
Vderz wielkiemu Bogu ſwemu czołem.

Wierność.

Przeſławne miáſto iuż ſię teraz zpoważ/
Ze ten Dyáment w ſkárbie ſwoim chowaß/
Ktory ták wzgurę w ßacunku wychodźi/
Iż nád niebioſá ceną ſwą przechodźi.

Mocność

Mocność.

Zpoważ sie Wilno/ á zráchuy twe spráwy/
Ziemskie ná strone puśćiwszy zabáwy.
A to masz wodzá Kázimierzá twego/
Idźże przykłádem naświętszych spraw iego.

Anioł pierwszy.

PRzesławna Lutni ćiągni słodkie strony/
Ktora Amfion kámień rozproszony
Zwabił ná kupę/ á lasy gdźie godźił/
Snádnie vwodźił.
Nie głośna przedtym/ áni ták wsławiona/
Dźiś z zámknionego gmáchu wynieśiona/
Záśpieway/ żeby Kázimierz z swey strony/
Słyszał twe tony.
Ktory w Krolewskim domu vrodzony/
Pięknych przymiotow szczęśćiem obdárzony/
Gárdźił roskoszą/ kocháiąc sie w cnoćie
Więcey niż w złoćie.
Słynie Herkules że wieprzá srogiego
Stárł/ y w Nemeyskich puszczách Lwá dźikiego/
Y insze cudá wpuszczone w pieluchy/
Tárł iák mdłe muchy.
Silna mu byłá Hyrdá roziuszona/
Siedmi głow srogich wąłem obtoczona/
A wżdy ią zábił sercem nielękliwy/
Siłą strászliwy.
Swiát Kázimierzu nád wieprzá dźikiego/
Y czárt był srozszy nád Lwá Nemeyskiego/
Ciáło nád Hydrę: wszyscy wygráć chćieli/
Lecz poyść muśieli.

Czego

Czego się chytra roskosz on kusiła/
Zeby go była k woli swey vżyła/
Lecz sztuk pozbywszy zdziwić się musiała/
Ze nie wygrała.
Od wrot od śmierći pewney/przyśięgała/
Bo go była swym żártem pomázała/
Lecz wolał miłe zdrowie swoie trácić/
Niż się z nią brácić.

Wtory.

Cny Kázimierzu/ cześć twa poty słynie/
Poki Wilia do morzá popłynie/
A ieśli iesżcze dáley płynąć będźie/
Sławyć przybędźie.
Sliczna Lilia ráyskiego ogroda/
Nie natrze ná ćię iuż żadna przygodá/
Podnogić pierwey vpadszy podlęże/
A nie dośięże.
Słusznie twe mieyśce w ták roskosznym sadźie/
Tworcá wszech wiekow nieskończony kłádźie/
Gdźie ćię by namniey szkodliwey namięći
Wiátr nie záłeći.
Wstyd przyrodzony miał zá puklerz sobie/
Ten mu vćiechą był w káżdey żáłobie/
Przy nim tá roskosz/ przy nim to kochánie
Wiecznie zostánie.

Trzeći.

Zaden Dyáment w szácunek podány/
Niemogł być nigdy ták oszácowány/
Zeby kiedy miał swoią ozdobnośćią
Zrownáć z szczyrośćią.
Czystość pod rozum/ bystre żądze wspiera/
Czystość od gęstych vpádow wydźiera/

Czystość

Czystość zuchwáłe myśli w ciele ſkraca/
W niebo obráca.
Lecz trudna bitwá/ trudno wygráć na niey/
Muśiß domowe wczáſy puśćić raniey/
Iesli chceß przy tym złotym runie zostáć/
A ſławy dostáć.

Czwarty.

Zmyſłow oſtrogá/ przygrubße odźienie/
Poſty/ y prácá/ báńkietow gárdzenie/
A ciáła karność/ roſpuſty ſię chronią/
Czyſtośći bronią.
Byś też w ſwey gárśći zámknął wßytkie cnoty/
Byś niebieſkiemi rußył kołowroty/
Nie będźieß nigdy w Regeſtr cnot wpiſany/
Ciałem zmázány.
Anielſką cenę tym człowiek przechodźi/
Gdy od roſkoßy chući ſwe odwodźi/
A gdy brzydliwe depce tu z ochoty
Ziemſkie pießczoty.

His, partim viſis, partim auditis, itum eſt ad ædem D. Ioannis, ad arcum alium Academicum. Eſt hoc loco quod te rogem vt ignoſcas, ſi cum filij in matrem pietas, diſcipuli aduerſus magiſtrum gratitudo, colligere etiam iubeat matris minuta, amare magiſtri tenuia, ego etiam magna prætercam, vel leuiter attingam. Magna retinere non poſſum, vbi ſunt maxima, vt nec in plurima exquiſitaq; dape, rhombus cum acipenſer eſt aut mullus ſelibris. Quid enim Academia? Vincitur, cedit? Si res ſit magnificentiæ, pompæ, ſplendoris, nihil dicam de Academia, ſi res ſit ordinis, viciſſe prope dicam. ſi amoris, viciſſe audacter dicam. Ordo pompam fecit, amor magnificentiam peperit. Ordo polijt, acuit, amor triumphauit. Non hic vnius arcus terminatur anguſtijs: non poteſt circumſcribi tantillo loco tantus, celer eſt, vehemens eſt, excurrit in ipſas plateas, in plateæ angulos:

est magnus occurat. Hic pyramides statuit & obeliscos formidandos hostibus crucis, hic solum operit flore: hic preciosam suspendit vestem: hic tapete prætexit parietes; hic eundem distinguit verietate iam emblematis excogitati ingeniosè: iam imaginis Diui pictæ affabrè: iam versus scripti auro, argento, digni cedro: deniq; ita nectit singula singulis artificiose vt facilè videas, quàm sit verum quod iactatur, Amor docet Musicam. *Ventum huc est, dum huc illuc suspensi vagantur oculi, dum legit, laudat, miratur doctus versum, curiosus emblema, pius imaginem, omnes omnia, ecce tibi Fama præsto est, non illa apud Virgilium ficti prauiq; tenax, sed illa nuncia veri, in quâ, prope dixerim, tãtum potuit producenda industria, quantum inscribendâ optimi poëtæ solertia. Hæc pilento picturato inuecta, lituum inflans, ciet magno ore Academiam, vocat in partem laudis, triumphi, plausus. Dictum, factum, imperata facit Academia, prodit, sistit se in Theatro suo, (peculiare hoc illi erat) stipante augustissimo suarum alumnarum choro, Theologiâ. Philosophiâ, Eloquentia, Poetica, Linguarum scientia, Grammatica, aliis, ipsismet etiam Musis, quæ Hippocrene illâ veteri relicta, ad Villiam fixerunt domicilium, & eius insidentes montes, ad illam cantillant. Quæ dixerit Academia, quomodo egerint, Artes, Musæ, quàm ad rem appositè, vniuersæ quid ego tibi narrem? Sat dico, cùm dico PP. è Societate IESV informasse hanc, produxisse illas. Nosti viros, euditionem, pietatem. Lege tamen ea vel absens, & iis delectare.*

Eulogia Casimirica,

Ad Arcum Triumphalem Academicum pronunciata.

Fama.

Academia, Theologia, Philosophia, Linguarum scientia, Rhetorica, Poetica, Historica, Grammatica, nouem Camœnulæ.

Fama. Dent litui Litauis resonum taratantara terris,
Ac volucres agitentur equi. Vulturnus habenas.

Soluat & effreni celerem circum omnia Famam
Climata præcipiti verset pede, dextima totam
Nuncia tellurem repleant, quibus ampla triumphat
Vilna triumphali modò circumuecta curuli.
Iure caput Litauûm celebres agis hosce triumphos.
Nam quod in optatis habuisti Vilna, tot annos,
Tu Litauiq; tui, cum Rege pioq; Poloni,
Regia progenies, patriæ decus, incola cœli,
Dux Casimirus iô labaro insignitus honoro,
Thuricremas meruit solemnia sacra per aras,
Solennemq; diem, Clemens pater auctor honoris.
Iure agis hos celebres, lætissima Vilna, triumphos,
Iure triumphales tres ordine surrigis arcus.
Certatim hos statuunt ciues, Academia, Clerus,
Hoc pietatis opus, doctrinæ hoc, illud honoris.
Excipite indigetem ciues, Academia, mystæ,
Fama monet, pietas mouet, Ars iubet, hoc honor vrget,
Dent litui Litauis iterum taratantara terris,
Omnis humus resonet, polus & responset vterq;.
Acad. Quis canor hic? quæ verba volant? properate sorores.
Lætitiæ quæ causa subest? *Fama.* Academia nescis?
Tempus adest sacræ vobis optabile pompæ,
Et Casimiriaci, cui structus hic arcus, honoris.
Acad. Quàm diuina refers! *F.* Sed non inopina. *A.* Secunda,
Fama. Læta, *A.* Cupita diu. *F.* tibi grata. *A.* notanda. *F.* canenda.
Acad. Eia agite artidocæ, chorus ô mihi chare, sorores
Nunc animos laxate, lyras nunc icite vestras,
Cum grege quæq; suo phaleratos dicite versus,
Doctæ alios animare Deæ modò sumite mentes,
Ipsæ, ipsæ in meritos modo soluite corda triumphos.
Omnes. Soluimus. *Poet.* Apta duci meritarum encomia laudum
Soluere non suffecerimus nos huc licet omnes
Parnassi latices, omnemq; Helicona vocemus.
Mist. Nec tantam passura moram sacra pompa videtur,

Vt vel summa sequi liceat fastigia laudum.
Acad. Recta mones, mora non erit hac statione molesta :
Vestrûm quæq; acroama det hic breue: cætera certum est
Mansuris inarare libris æuoq; sacrare.
Incipe, vt anteuenis diuina Scientia cunctas.

Fama est septem olim vrbes de Homeri patriâ contendisse. nugæ sunt. Casimirum nostrum, vides, septem Academiæ castissimæ alumnæ sibi vendicant, Honor habetur Theologiæ, hæc primas tenet, sequuntur cæteræ. Sed nolo inquit disceptationes, laudes volo Sancti. En tibi & illas.

Theologia.

Sacra minerua mea est : sacra scita recludo, fidemq;
Defenso, doceo nosse & amare DEVM.
Tutor eras fidei Casimire DEVSq;, magistra
Me, tibi notus erat, totus amatus erat.
Nosse & amare Deum summa est sapientia. Quid ni
Dux mihi tu sapiens, tu mihi Theologus?

Philosophia.

Naturæ latebras rimor, vaga metior astra,
Monstro repertorem perq; reperta DEVM.
Præceptrix morum, moneo meliora sequenda.
His morem monitis, Dux Casimire, geris.
Naturæ auctorem sequeris, norma aurea morum.
Vsque astris inhias. Tu mihi, Diue, Sophus.

Opperire hic paullulùm. vbi Scientiarum choro accensentur Musæ. Vide quàm Linguarum scientia sibi elinguis videatur & infans ad S. Casimiri Laudes, dum sibi Musas iungit socias ex ipso Helicone. Audi vt patriâ Lingua, hoc est, Graija, qua nihil venustius, nobilius; vt ore rotundo, hoc est, persuaui perq; docto cantillent. Mihi certè παιδόθεν φιλέλληνι *Græcæq; literaturæ cumprimis amanti, camœnulæ illæ & verbis operosè*

 ex Attico

ex Attico Hymetto delectis, & leoninis lepidèque sibi responsantibus vocu-lis, ita visæ sunt lenocinari, vt haud sciam, an modulatæ vnquam fuerint vel Sappho sapidiùs, vel Corinna concinniùs. Ausculta dum, idem, opinor, fatebere.

Linguarum scientia.

Stemma trilingue gero, tria quæ discrimina linguæ
Trado iuuentuti, quæ pluris habentur in orbe.
Diue Iagellonide fuerat tibi gratia linguæ
Magna, sed in linguæ moderamine maxima virtus.
Quadrupedum volucrumque potest genus omne domari,
Mobilitate vigens, vix lingua domabilis vlli,
Tu domitor, Casimire, potens es Erinnyos huius,
Dignus cui doctæ resonent epinicia Musæ.

ODARION.

SCIENTIA LINGVARVM.

Κάζετ' ἀνθηρὸν κασιμῆρον ἱρὸν,
Ζῆνος ὦ φρουραὶ μεγάλοιο κοῦραι,
Ἀνέρας μοῦσαι ζαθέου ὑδοῦσαι,
Ἆσμα φιλοῦσαι.

Calliope.

Ὃν κέλεσ, βάζειν πρόφρονεσε κάζαν
Ἄρχομεν, μουσῶν χαρίτωντε σοῦσομ.
Ἦν ὁ εὔκλαος νέος ἦμ ὁ δῖος,
Ὄζος Ἄρεος.

Clio.

Γηθέτω λαῶν γέα Σαρματάων,
Δῆμος ἄρ μάλλον Διτάλων ἀγάλλων.

νῦν

Νῦν ἕκας φόρτοι. παρέσοιντο χόρτοι.
ἦλθεν ἑορτή.

ERATO.

Οὗτος ἦν δῖος βασιλῆος ἡρὼς,
Μήποτε ἔργων φλυάρων παρέργων,
Οὓς μάλα ζητεῖ ποθέοντι στῆθα
πάντοτε πλῆθη.

THALIA.

Μίσεεν τιμὴν κενεάν τε φήμην,
Μίσεεν σάρκος σπατάλην ὁ ἄρχος,
Πᾶν ὃ τιμήσας μίσεος τὸ μῖσος
Ἄγνεσιν ἴσος.

MELPOMENE.

Τέβριος γρυφὰς ἔρξῃ ἠδὲ τρύφας,
Πᾶν ἔρξῃ ἄξαι, ἔρξῃ ἠδὲ τάξαι.
Τέρψεν ἀχθεινάς, ἀγέλαστε ξείνας,
τέρψεν ἀχήνας.

TERPSICHORE.

Εὐλαβὴς, σώφρων, θεότητι πρόφρων,
Πολλάκι εὐχωλῶν ὁ παρεῖχε μῶλον
Πολλάκι ἀνῆκον νυχίοστε σκηνὸμ
πολλάκι ἐφήκων.

EVTERPE.

Ζῆσεν ἁγνεύων, ἀθενίος φονεύων
Νερτέρους. ῥητὴν φύγεν Ἀφροδίτην.
Κυπρίδος μίσκαν προσέβαλε θνήσκειν.
πότμον ἐπισπεῖν

Polyhymnia.

Κάρτερον, Φοῖ'ον, κἀθαρόντ' ἔφηβον
Οὐρανῶν σῶκοισε στέγουσι θῶκοι.
Ἔλλαβες θείων μηνέχαρμοσ ἴων,
ἐνθα βραβεῖον.

Vrania.

Πατρίδος γαίης κακὰ μῶν σὺ κλαίεις;
Σοί τ' ἄναξ ταὸς τάλας ἠδὲ λαός,
Λίσσεται, δῆμον πολεμοῦντα, λοιμόν
ἢ ἄπτρεπε λιμόν.

Lingvarvm scientia.

Δὸς ΣΙΓΙΣΜΟΥΝΔΩ θεοῦ ἀργυρῶν δῶ,
ΟΥΛΑΔΙΣΛΑΩ παῖδ', ἠδ' ἐλαῷ
Δὸς κρατεῖν ἐχθρῶν, μακάρων τε λέκτρον
βῆμεν ἄλεκτον.

Ling. Sancto acroama meum par est idiomate claudam,
A quo principium ducere debueram.

Carmen Hebræum inopia typi omittitur.

Rhetorica.

Eloquium doceo, mentesq; accendere fando,
Flexamini resides ore ciere viros.
Dux Casimire, disertus eras, magis attamen ipsis
Exemplis hominum flectere corda potens,
Fortius eloquio mouet optima vita loquentis,
Laude omni potior tu mihi Rhetor eris.

Poëtica.

Sedibus in superis, genus immortale, Poësis
Nata, libens Superos semideosq; cano.
Visus es arte mea Diuûm reuerenter honori.
Non tibi carmen erat, Dux Casimire, Venus,
Virgo sed alma parens: hanc Sancte Poëta salutas
Versibus hymnisonis quos meditatus eras.
Virginibus iunctus, redimitus virgine lauro,
Nunc dominanti Agno carmen in axe canis.

Grammatica.

Clauigera hoc insigne gero, nam prima resigno
Ostia Pieridum, ceu, Casimire, tibi.
Vt gremio in nostro primas fandi hauseris artes,
Ingenio docili me meminisse iuuat.
Artis amorq; Dei creuit crescentibus annis,
Res, Domini Timor est, relligiosa nimis.
Hic tibi sit cordi Timor, ô Academica pubes,
Qui sapuisse per hunc incipit, ille sapit.

Historica.

Est meus annales labor, actaq; temporis acti
Scribere: virtutes, Dux Casimire, tuas
Faxo tempus edax memori non eximat æuo.
Quin tua gesta polo nunc inarata legis.
Rite polo gratante legis, Dominoq; Deorum,
Cuncta accepta cui sunt referenda, refers.

Academica.

Nos pariter Domino referamus, oportet, eidem
Cœlitus acceptum te, Dux Casimire, patronum:
Cuius me fidei, curæq; measq; Camœnas,
Cum sobole Heroum, docili & commendo iuuentâ,

Si quid in arte sua potis est Academia, faxo,
Cultus, honos, nomenq; tuum laudesq; vigescant.

Quid videtur? Satisne vt multæ sint in laudes sui Diui? Tibi quidem sic potest, & fortè alijs, ipsis certè parum, nisi etiam perenne, prout cuiq; est copia laudis, & honoris obsequium se præstituras recipiant. Accipe votum, lauda studium.

Theologia.

Iustitiæ, fidei, mihi Relligionis es omnis
Exemplar virtutis eris Casimire coruscum.

Philosophia.

Diue, tuam Sophiam, dum vectat plaustra Bootes,
Versabo, meritaq; feram super æthera laude.

Linguarum scientia.

Linguâ ego te nitidâ sed Christo digna locutum,
Quâ linguæ patefacta meæ discrimina, fabor.

Rhetorica.

Inq; tuas surgent mea rostra politula laudes,
Maximè vbi sacras tibi Martius innouat aras.

Poëtica.

Sed neq; carminibus, Casimire, tacebere nostris,
Te canet Ascra frequens Helicon Heliconis alumnum.

Grammatica.

Grex meus vt nequeat balbis tua promere linguis
Facta, tamen teneris voluet tua nomina labris.

Historica.

Mandaui tua gesta cedro: mandabitur hic te
Dignus honos: & quidquid opis præstabitur abs te.

Calliope.

Calliope ſum voce placens, te voce vocabo
Sole ferente diem, ſole fugante diem.

Clio.

Nomine ſum celebris Clio, celebraberis à me,
Qua Gothus, Afer, Arabs, qua niger Indus arat.

Erato.

Nomen amoris habens Erato tibi Numen amanti,
Carmen amoriſonum nocte dieq; dabo.

Thalia.

Fronde Thalia creans decorabo virore ſepulchrum
Diue tuum: vireat laus ô vbiq; tui.

Melpomene.

Muſica Melpomene vario diſcrimine vocum,
Muſica noſtra tibi ſeruiat omnis agam.

Terpſichore.

Therpſichore tibi, læta choris, odea chorosq;
Inſtituam, citharis qui fidibusq; canant.

Euterpe.

Nomine delectans Euterpe, flatibus aras
Faxo, datis hilarent organa noſtra tuis.

Polyhymnia.

Ipſa, frequenter, agam, Polyhymnia, dulcibus hymnis
Templa per ac aras te ſacer ordo colat.

Vrania.

Me vocat Vraniam tu cuius es incola, cælum
Hoc fac ô innumeros raptet amore pari.

Hæc carmina. In carminibus his non vides triumphum, non pompam, non trophæum? In arcu hæc fuerunt singularia. Altus fuit ille pedes quinquaginta, latus quà disclusus erat portis viginti quinq;, quà peruius viam dabat transeuntibus quindecim. Pars eius & aduersa & auersa vexilla ostentabat cærulea hæc, alba illa, illita auro, ventilantia tiaram vtraq;. Portæ postes præferebant dextrâ Castitatem, *sinistrâ* Deuotionem. *subiecti versus vtriq;. Castitati hi:*

Casta placent Superis, animo me & corpore casto
Dum sequitur, Superos Dux Casimirus adit.

Deuotioni isti.

Me duce supplicibus votis Casimirus ad astra
Tendebat, fusâ nocte dieq; prece.

Fornici aduersæ portæ extimo imminebant hinc & hinc insignia Illustrissimi Episcopi Vilnensis pulcrè coloribus inumbrata & inter hæc medio spacio stemma SOCIETATIS IESV. Partis arcui proximè insidentis sunt ista. Medius stat inter Diuos Ioannem Baptistam & Euangelistam Casimirus. Superscriptio hæc. Castus inter castos. *Ei offerunt D. Ioannes Baptista palmam virentem, Euangelista interplexas liliis rosas. Supra illum gyrantes è nube Angeli duo, lauro impediunt caput. Ne quid desit ad cumulum, suum Diuo cuiuis carmen, tanquam emblema quoddam, quod in picturâ latentem notionem & quasi complicatam interpretaretur. Ioannis Baptistæ est illud:*

Illicitum qui connubium regale repressi
Virgo; tibi hanc palmam Dux Casimire, fero.

Euangelistæ hoc:

Virgineis manibus tibi, Dux Casimire pudoris
Symbola dant Superi lilia mista rosis.

Casimiro istud:

In terris Litauo fulges Casimire ducatum
In cœlo Angelica virginitate nites.

Hinc

Hinc promittebantur à molis vtraque parte pergulæ, quas insidebant Musici vario vocis & instrumentorum genere personantes. Ab his statuæ vlnas in altum quatuor exporrectæ D. Adalberti vna, in cuius tutelâ Polonia, D. Nicolai altera, in cuius subsidio latet Lithuania. Supremum operis verticem insigniebat Stemma M. D. Lithuaniæ Eques cataphractus gladiū deprimēs quasi icturus. Depreßiora paullulùm machinæ latera & quasi cornua Diui tenebant equorum sessores Lithu. tutores, D. Georgius, D. Martinus. Pedes equorum posteriores penduli affabre sculpti, affaberrimè picti. Quod horum regionibus inclusum erat spacium Epigraphæ occupabant. Media hæc; O quàm pulcra est casta generatio cum claritate, Sapien. 4. *Rursus ab vna parte illa;* Iustus vt palma florebit. Ps. 91. *ab alterâ ista;* Sicut flores rosarum in diebus vernis Eccles. 50. *Aliæ fuerunt pictæ formæ aliarum rerum, quæ vel historiam loquebantur, vel Allegoriam.*

Sed vltimus restat arcus, de eo dicendum est aliquid. Aliquid; Non quòd nō omnia in eo exquisita, rara. Nam fuisse hoc esse indicio potest, quòd Senatus Canonicorum curauit. sed quòd id mihi accidit in tam longo orationis cursu, quod dicitur; Caballus in cliuo. *Facies eius hæc fuit. Quatuor illum includebant à lateribus, & quasi terminabant ad imitationem pyramidum assurgentes turriculæ duæ aduersum, totidem auersum. Ab his alia vtrinque procurrebat, media ea & maior, quæ in latum per arcus excurrens caput, & hic æquis partibus sensim sese attollens in conum desinebat & ipsa. Quatuor illæ suas singulæ singulas præferebant Epigraphas expressas pulcrè ad speciem, peritè ad antiquitatem.*

Primæ hæc fuit.

Diuo Casimiro.

Apud quos olim infātia tua vagijt.
Pueritia adoleuit,
Illustris Sanctimonia effulsit.
Hi tibi se suaque ōnia patrono &
Propugnatori deuouēr.

Secundæ hæc.

Diuo Casimiro.

Cuius ductu numerosus Moschorum exercitus.
à parua
Nostratum manu in cruento prælio fusus est.
Grata posteritas
Hoc colossæum dicat.

Tertiæ illa;

Diuo Casimiro,

Quem Leo X. Pont. Max. Superis adsciuit
Quem Clemens VIII. sacro labaro Ornari voluit:
Indigeti clementissimoque tutelari
Deuoti clientes poni fecerunt.

Quarta ea.

Diuo Casimiro.

Principi Casimiri Poloniarum Regis M. D. L filio Pannonum Regi electo:
ob
Raram virginei pudoris integritatem multaque sanctimoniæ argumenta
In diuos relato;
Lithuana pietas
religiosè
Fieri curauit.

Quintæ & inter has mediæ latus vnum tenebat S. Stanislaus, & Poloniæ, & maximæ Vilnensis ædis Patronus; alterum D. Casimirus. Ille loqui fingitur in hunc modum;

Dux Casimire tibi nostram ædem pandimus vltrò:
Et tecum nobis votos partimur honores.

Hic respondere in istum;

Præsul quem colui terris dum vita manebat;
Huius me æde coli lætor supera arce receptum.

Splendida hæc erant ad magnificentiam, illud splendidissimum, quod arcum imum & intimum ornabant, vndique effigies pictæ quæ vitam repræsentarent Diui, exprimerent gesta. Hic nascitur Diuus, & vix nascitur, vt sanctum prodat natalis, sceptrum Bohemiæ patri defertur: affertur nunc cius de cæsis hostibus ad internecionem ibi denascitur; moritur, & vix moritur, vt Diuum probet mors, exuuntur armis seditiosi, luunt pœnas turbatores. Hic exutus sensibus, dum operanti sacris dat operam Sacerdoti, extra se ponitur; ibi exutus carne mortali, inter angelorum manus ponitur; extra conditionem mortalis omninò. Hic lectum destituens regium, stratus in nudâ humo, nudus durum captat somnum, mox vigilaturus; illic ad exanimis eius fusi puluinaria excubant ægri, mox dormituri sani. Hic ad templorum postes nocturnus procumbens ipse, calidis osculis sacra limina

conuerrit.

conuerrit, exorat sanitatem animæ, integritatem vitæ, menti lumen: illic ad vita functi Mausoleum prostratis aliis redit sanitas corpori, lumen ocu-lis, integritas membris. Quid dicam vt ibi trabeam regni Hungarici re-nuit deferente procerum corona. ô raram modestiam! alibi honores cępit diadematis cœlestis decernente summo Ecclesiæ Senatu. ô felicitatem im-mensam! Quid? vt post mortem suis in hostem per inuadabile flumen vi-sibilis Dux it præuius? vt eosdem, parte alia, vix duûm millium capitum, in aëre conspicuus, voto sibi nuncupato, potiri facit hostium quinquaginta millium. Non euoluo singula, rem tantum describo vniuersè. Ex hoc are-cu inter columellas tornatiles eminent pueri, modis, forma & veste men-titi angelos præcipuorum Vilnæ templorum tutelares. Hi, dum imminet portæ labarum sacrum, Diui nostri laudes persequuntur hoc carmine.

ACCLAMATIONES

Angelorum tutelarium 7. quæ Vilnæ sunt, Ecclesiarum,

Ad arcum Triumphalem Ecclesiasticum, quem vene-rabile Canonicorum collegium erexit, factę.

TVTELARIS

Ædis Summæ S. Stanislao Sacræ.

Siste gradum pie grex, daq; his affatibus aures,
 Vt nostri aduentus sit tibi causa palàm,
Nos sumus ætherei proceres, famuliq; Tonantis,
 Qui nostræ curæ Vilnea templa dedit.
Et nunc à summo cœlorum mittimur axe,
 Dum colis indigetem publico honore tuum.
Dum laudes eius memoras, dum encomia iactas,
 Solenni & pompa dum pia festa nouas.
Sed quasuis laudes, & quæq; encomia vincit
 Ille hominum, Angelico quem decet ore cani.

Angelicis equidem celebrari laudibus æquum est,
Angelica in cuius corpore vita fuit.
Muneris est igitur nostri super æthera iam nunc
Angelicum Angelica tollere laude virum.

TVTELARIS

Templi S. Trinitatis, cum effigie SS. Trinitatis.

Templi procubitor quod sibi nomen
Augustæ Triadis vendicat adsum.
Cultorem Triadis te Casimire
Quanam voce canam? flumine sacro
Vt primum ablueris, dasq; Satori
Acceptasq; fidem, flamine sacro
Felix imbueris, se tibi multo
Fundit Numine Rex trinus & vnus,
Instauratq; suum quod geris instar.
Instauratum, animi purus, id instar,
Tetra labe procul, tute tueris,
Virtutum poliens iugiter vsu,
Ter Sanctæ Triadi donec idipsum,
Succiso fragilis stamine vitæ,
Ne te pollueres, reddis in axe.
O lux candidulis digna cylindris!
O lux auspiciis orta secundis!
O lux sideribus condita faustis,
Qua primum liquidas natus in auras,
Et qua cœlifluo fonte renatus
Cœpisti Angelicam ducere vitam,
Trinum ardere Deum totus & vnum,
Non vani ominis hæc visa fuit lux,
Nec spe cœlicolas lusit inani.
En Diuûm numerum Diuus adauges,
En nunc Angelica laude celebris,

En nunc Angelica lætus in aula,
Trini perfrueris Numinis æthra.
Quàm felix ea sors! quanta voluptas!

TVTELARIS

Templi S. Spiritus: Columbam expansis alis cordi insidentem manu prætendens.

Quam cum corde habili gesto, columbula
Est emblema sacri nobile Spiritûs.
Ædem nempe sacram Spiritui Sacro
Tutari Superûm me pia sors dedit.
Hic idem pariter Spiritus imperat
Sanctum principem auis Regibus editum
Vt laudem: Sed enim quis, vel in alite
Cœtu Cœlituum, sat queat assequi,
Quàm dijs facibus Spiritus hic sacer
Cor accendit ei, quàm pius arsit is
Regem sidereum, feruidus in preces,
Ac in vota frequens? Seu roseo diem
Lustraret Phaethon, seu tenebræ horridam
Noctem contegeret, relligiose Dux,
Compellare soles suppliciter Deum.
Quin de nocte toros atque palatia
Egressus, tacito templa petis gradu.
Hîc in genua labans, os lacrymis rigas,
Diuinamq; pia poscis opem prece.
Cœlestesq; choros, quod solitum tibi,
Flammata peragras mente, tui immemor,
Et ceu sensuum inops, totus es in Deo,
Dias insinuat qui tibi flammulas,
Diuini cor agens numine Spiritus.
En exemplar habes ò homo qui cupis
Flamen corde tuo sessitet entheum.

TVTE-

TVTELARIS
Angelus Templi S. Crucis Crucigeri.

Patronus ego vigilq́ꝫ custos Angelus
Templi crucis Sanctissimæ adsum. equidem lubens
Laudabo laudatissimum augustæ crucis
Alumnum, amatoremq́ꝫ, Principem, inclytum.
Mirus amor, & mira religio tibi fuit
Casimire, Christi erga crucem, quam assueueras
Indesinenter irrigare lacrymis,
Cùm prius eam, humanæ, suopte limpido
Vindex salutis irrigasset sanguine.
Beneficium beneficiorum maximum
Ardente continenter hoc animo putans.
Humi solutis brachijs regalibus
Assueueras recuruus, & supplex crucem
Deoscularier, in cruce sacra, cuspide
Sæua terebratum deosculans Deum.
Quin vniuersum curiæ agmen Olympicæ,
Non passibus aliis, nec alio tramite,
Quàm passibus crucis, crucisq́ꝫ semita
Penetrasse Diuûm fulgida ad palatia
Animo reuoluens, tibi etiam hanc ipsa via
Christum Ducem sequendum, habebas in animo
Fixum ratumq́ꝫ tuo. Crucem igitur gestitans:
Hac gestiens, hanc ambiens, in hac tuas
Spes figis: hac armatus hostes proteris:
Munitus hac superas adis Victor plagas.
Imago terris interim vulgat tui
Crucem gerentis, quæ sacrę ratio crucis,
Qui, quantus ardor tibi fuerit humi sito,

TVTP-

TVTELARIS
B. Virginis Templi liliger.

Virginis matris, dominæq; cæli
Ædis & custos vocor & Patronus:
Illa me laudes Casimirianas
Dicere iussit.

In Dei matrem pietate mira
Dux ferebatur Casimirus, ornans
Hanc metro, moresq; imitans pudicos
Omne per æuum.

Ille Regali genitus cubili,
Ille opes inter genitus superbas,
Lilio mentem nitidoq; vixit,
Purior artus.

En manu gesto niuei coloris
Lilium, illius sine labe vitæ
Symbolum vitæ Angelicæ in virenti
Flore iuuentæ.

Pulchrius uisu nihil est nitenti
Lilio: casta nihil estq; vita
Pulchrius; flores uelut inter omnes
Lilia candent,

Sic honestates micat inter omnes,
Immo virtutum genus omne vincit
Castitas, qualis superat minores
Cynthius ignes.

Cultor ô castæ Casimire vitæ,
Nunc triumphato Veneris maniplo,
Entheum lætus sequeris per oras
Ætheris Agnum.

Huic inauditas modularis odas,
Quas canunt soli Venerem perosi;

Et choro iunctus pia virginali
Carmina pangis.
Tu pari cultu studiosa pubes
Prosequi matrem studeas Tonantis,
Et sequi vitam Casimiriano
More pudicam.

TVTELARIS
Templi D. Ioannis Agnifer.

Cui custodia sim dicata templo
Quem gesto niueus profatur agnus.
Nimirum Agnifero sacrata vati
Sunt delubra meæ relicta curæ,
Patronum celebroq; vestrum.
Qua fas Agniferum pro rigore
Est vitæ Casimirus æmulatus.
Qui cùm delitijs tori, dapumq;
Quiret regifico vacare luxu,
Ad mores animum tener seueros
Flexit tramite strictiore.
Quid? bello illecebris voluptuosis
Indicto, macie suos perenni
Proles regis, vt edomaret artus,
Christi feruido inæstuans amore
Nunquam affligere desinebat.
Pro sponda Tyrijs nitente lanis,
Aspro in cespite delicatus hic Dux
Se fundit releuans sopore membra,
Et pro syrmate fulgido smaragdis,
Setis lacteolos feris lacertos
Nunquam destitit asperare.
Christum quippe suæ salutis ergô
Versans in cruce lectulo cubantem.

Et duro nimis, & nimis molesto.
Duum tegmine & hispido Ioannem,
Verlauit nemorum incolam fuisse,
Præcinctum exuuiis cameli.
En exemplar habes, habesq; normam
Vitæ, quæ placeat Deo, gerendæ;
Vitæ, ad pergama quæ vehat polorum.
Quisquis sydereas aues ad arces
Recto pergere tramite hanc ideam
Viuendi, hoc sequere institutum.

TVTELARIS

Templi S. Francisci, nomen IESV super gladio gerens.

Templi patronus Diue vocor tui
Francisce, cuius nutibus ordior
Encomium iuxta sonare
Militiæ Casimirianæ.
Non ense Martis subruit æmulos,
Non telo aceruos messuit hostium,
Non arduas deiecit vrbes,
Non validas Casimirus arces.
Nouum secutus militiæ genus,
Miles gerebat prælia strenuus,
Contra satellites Auerni,
Contra Erebi rabidas phalanges.
Immane bellum, mille periculis
Bellum refertum, sedis olympicæ,
Palmæq; sustlagrans amore
Gessit hic, & retulit triumphos.
Mundumq;, carnemq;. & stygium ducem;
Hostes potentes, pube Typhoëâ
Ferociores & Phlegræâ,
Impauidus iugulauit hostes.

Blandæ ille carnis mellea toxica
Mundi ille technas, dæmonis & Strophas
Repressit, extinxitq; cinctus
Hostibus horribili dolone.
Nomen suaui melle suauius,
Fortiq; nomen robore fortius,
Nomen quod est supra omne nomen,
Tam celebres peperit triumphos.
Solare noctem disijcit vt iubar,
Soluit tepentes vt Zephyrus niues,
Vt turgidas Austri repellit
Sarmaticus Boreas procellas:
Sic sic IESV nomen amabile,
Nomen sacratum, diripit & fugat
Plutonis iras & furores,
Ac Erebo agmina fœderata.
Hanc æmulari militiam stude,
Redire victor quisquis ab hostibus
Aues, IESVM pro dolone
Pro valida ægide habeto IESVM.

TVTELARIS.

Templi D. Stanislai.

Sum templi Patronus ego, tutorq; fidelis
Templi, cui summus Præsul, Martyrq; Polonus
Diuus Stanslaus proprio de nomine nomen
Indidit: extremum me iam prouincia tangit:
Vt laudes Casimiriacas, piaq; acta celebrem.
Is mihi præcipuè laude est dignissimus omni,
Qui specimen, norma, effigies, exemplar, idea
Virtutum omnium erat: laude est dignissimꝰ omni
Qui nullis se vnquam peccati in flore iuuentę
Sordibus infecit: laude est dignissimus omni

Gentibus è Litauis meritò qui primus in album
Sanctorum cessit: laude est dignissimus omni,
Quem Deus & cœli ciues, terræq; coloni
Dignum omni vnanimes & laude & honore fatentur.
Talis Dux Casimirus hic est dignissimus omni
Laude, quod hæc regio, quod Roma, quod astra loquũtur.
Restat vt admoneam, vitam eius & acta laboret,
Quisque sequi, quicunque sequi sub olympica regna,
Hunc auet, ac parili precio gaudere laborum.
Ergo agite & si quæ stimulat vos cura salutis,
Sic vitam, sic & mores componite vestros,
Vt vità Casimiri, vt amato imitamine morum
Possitis pariter cœlestia regna mereri,
Credite non aliam esse viam, quæ ducit ad astra,
Quam duram, atq; adeò millenis vndiq; septam
Insidiis, quas nunquam animarum desinit hostis
Tendere, vt incautos tenebrosum impellat in orcum.
At vos insidias, lapsusq; cauebitis omnes
Si Casimirum huius prodromumq;, Ducemq; peritum
Vultis habere viæ. En Casimiri signa leuantur,
En vexilla volant: agite, hæc vexilla sequendo
Hostibus edomitis statuatis in axe trophæa.

Pueri colloquentur alternis.

1. Si quid ad Angelicas nos possumus addere laudes
Collubet alternis Casimirum pangere metris.
Fulgida fulgentem Casimirum sydera lustrant.
2. Florida florentem Casimirum ferta coronant.
3. Dulcia prædulcem Casimirum iubila cantant,
4. Candida candentem Casimirum lilia pingunt.
5. Cœlica cœlestem Casimirum carmina laudant.
6. Splendida splendentem Casimirum gaudia pangunt.
1. O Casimire decus nostrum, dulcisq; patrone
Noster, dum magni voluentur sydera cœli

2. Dum bene cultus ager pingues producet aristas,
3. Turgebit grauidis dum vinea culta racemis,
4. Dum vitrei vasto claudentur in æquore pisces,
5. Dum Deus alternis æquabit legibus orbem,
6. Dum Deus ipse suum immutabile transiget æuum.
Te nostrum Casimire decus, nostrumq; patronum,

2. Fulgida. 3. Florida. 4. Dulcia. 5. Candida. 6 Splendida, 1, Cœlica. 6. Gaudia pangant. 2. Sydera lustrent. 5. Lilia pingant. 3. Serta coronent. 4. Iubila cantent. 1. Carmina laudēt.

Plateæ, in quâ hic arcus, extremę continentem pontem esse supra dixi. Hic cum hominum tantam multitudinem sustinere non posset, & alioquin intercurrentium aquarum vi superioribus diebus labefactatus esset, medius subitò subsidere incipit & solus. Quid exhorrescis? Casum? ruinam? At labarum habemus, præsentem arrham diuinæ in nos benignitatis: nihil esse potest periculi, vel in medio periculo. Voluit Sanctus ordiri solemnitatem suam à miraculo, vult claudere in miraculo. Vt agnoscas miraculum. Itur per hunc pontem, reditur frequentissimo totius Lithuaniæ, certè vrbis, concursu: in tanto numero tam conferto nemo periculum sentit, nemo timet. O amici DEI quibus stabilitus radicibus est honor vester, cultus vester! res inanimas seruire illi oportet, stare pontem oportet pendulum, librari fractum, dum ne quid, cùm fert vsus, mancum in illo sit aut imperfectum. O felices vos Catholici qui experimini! ô impios vos hæretici, qui inficiamini. Pergo. Dum labarum pergit ad ædem summam D. Stanislai auditur tantus fragor tormentorum, tantus sclopporum strepitus, tantus campanarum tinnitus, tantus buccinarum clangor, tantus tympanorum concentus, vt triumphi non iam dico veram & vmbratilem speciem sed legitimam formam nunquam inuenerit, qui hic non inuenerit. Scribens tremo, quid putas audienti? Ventum est ad templum. Præsul quasi excepturus labarum adhibet thus. Hinc pergitur ad altare summum, quod fumabat thure, gliscebat auro, fulgebat face. Ad altare Magnus Cancellarius, vt qui vices obibat honorarias Regis, labarum tradit Præsuli, laudat studium in cultu & honore sancti procurando, hortatur ad curam in tuendo, hanc vt præstet monet per officium, rogat per patriam, dicis id potius caussâ quàm necessitatis. Præsul

recipit,

recipit, agit gratias, promittit industriam, addit ad stimulum, cupere se & optare vnicè materiam sibi dari declarandæ suæ voluntatis. Dixit. & Psalmum 32. inchoat, cuius initium est. Exultate iusti. Prosequitur clerus reliquus, prosequens obit templum, adit sacellum Deiparæ & S. Cas. introdicatum. Iterum hic thus adhibetur, oratur. Post orationem Musici altissima voce, flexionibusq́ ad artem elegantissimè modulatis, excipiunt hymnum laudisonũ D. Ambrosij. Te DEVM. Dum canitur, reditur vnde erat digressum ad aram maximam, oratur rursum. Post tempus perpusillum positum in oratione, condonationes & veniæ populo denunciantur culparum, & peractis omnibus cæremoniis, quas in tali negotio Romana Ecclesia statas habet et præfinitas, diei præsentis soluitur lætitia. Seriùs id quàm putabatur fore. Fecit enim numerus procedentium & recitantium multitudo, vt cœptam ad octauam matutinam supplicationẽ, exciperet hora tardior à meridie. Dixi diei solutam lætitiam. Recte. Nam populus Vilnensis, cui angustiorem terminum dies posuerat quàm pietas, in partem festi magnam etiam partem noctis vocat. Hic ignes volant artificiosi, iactantur ludicri, vt miraretur ignarus alterum cœlum distinctum stellis; ibi extruuntur pyræ, excitantur ignes festi, vt quereretur somniculosus noctem versam in diem. Non satis. Æs in turribus stridore, sclopus in vijs strepitu, tormẽta, repetitis vicibus in arce, in foro alternatim exonerata, tonitru loqui oportuit Vilnensis populi pietatem, senatus religionem, nobilitatis ardorem.

Altero post die, Præsul ipse obiuit solemnia Missæ, stata ceremonia è suggestu verba fecit ad populum, euicit Beatum esse virum qui timet Dominũ, exemplo Casimiri effecit ratione, perfecit oratione, vt reperirentur multi, magni, fœminæ, viri, q[illegible]derent in mandatis eius velle nimis, ad normã Casimiri.

Dies tertius primo templi Casimiriani iaciendo lapidi datus est. Iactus est ponè forum, vt quo loco merces hactenus prostiterant, ibi deinceps commercia instituantur cœlitum. Benedictus est lapis ille & solemni ritu consecratus à Vilnensi Antistite Benedicto, præmissâ SS. Missâ. Cuius in medio semihoram circiter, ad confertum procerum populiq́ cœtum Vilnen: dixit, cùm de statis sacræ ædis fundandæ ritibus, tum de Religiosorum Societatis IESV instituto, eorum qui in perfectiori gradu siti, Professi dicuntur. & ex mera piorum liberalitate viuunt. Ad hos enim cura Ædis Casimirianæ deriuata est. Fortè Lapidis Epigraphen æreæ lamellæ incisam desideras? En tibi subiectam.

TIBI DEVS TER MAXIME PATER HOMINVM AD GLORIAM
TIBI VIRGO DEIPARA MATER HVMANÆ SALVTIS AD HONOREM
TIBI CASIMIRE DIVE POLLENS POTENS TVTELARIS LITVANIÆ INVICTE VICTOR HOSTILIVM EXERCITVVM SOSPITATOR PATRIÆ PATRATOR MIRANDORVM OPERVM CONSERVATOR CVSTOSQVE VRBIS AD CVLTVM.

PONTIFICANTE CLEMENTE VIII. REGNANTE SIGISMVNDO III. REGENTE VILNENSEM EPISCOPAM BENEDICTO WOYNA I.

PRIMVS EIVSDEM ANTISTITIS MANV SACRATVS AVSPICIO RATO DIVISQVE FELICITANTIBVS PONOR LAPIS.

VT MEO FVLCIAM DORSO OPEROSAM BASILICÆ MOLEM PROFESSÆ SOCIETATIS IESV TEMPLVM PRIMAM IN LITVANIA D. CASIMIRI RELIGIONI VOTAM EIVSQVE SACRIS FACIVNDIS DICATAM ÆDEM

REGNI SALVTI LITVANIÆ TRANQVILLITATI PVBLICÆ COMMODITATI VRBIS SOSPITATI

STRVI COEPTAM ANNO REPARATÆ SALVTIS M. DC. IV. MENSE MAIO DIE XII.

Quid censes? satin' apposité ad Religionem? satin' scitè ad antiquitatem?

Fuit hic lapis Lithotelesticis Poëtarum Vilnen: adornatus Eulogiis. quæ hic inserere ad metam properans vetor. meum illud αὐτοσχεδιαστικὸν, *si placet, accipe, vel eorum, in quos properè direxi, gratiâ placiturum.*

LAPIS OFFENSIONIS.

Qui Casimiriacæ fundamina sustinet ædis,
Ponente *WOYNA* Antistite:
Hunc nihil errârit *LAPIDEM* qui præscius esse
OFFENSIONIS dixerit.
Hæresis oblatrat, cum Iuda offenditur, ecquò,
Ait, ista perditio facit?
Ista superstitio certè est, cœliq; Monarcham
Honore depreciat suo.
Nil mirum est: almæ quondam *LAPIS* ipse *SIONIS*
OFFENSIONIS erat *LAPIS*.
Quin est optandum, *LAPIS* hic non nomine, sed re
OFFENSIONIS sit *LAPIS*.
Non offendatur tantum, offendat quoque ad illum,
Iugulumq; frangat Hæresis.

At quorum manibus lapidem illum deportatum autumas? Maximorum Lithuaniæ magnatum. Qui rectè coniecit hunc vatem perhibe. Personas, scio, non facilè coniectaueris. En tibi nomenclatorem agam. Præter toties celebratum, M. D. L. magnum Cancellarium. huc se tam pij laboris non grauatè submiserunt. Illustrißimus recèns designatus Palatinus Vilnen: Nicolaus Christophorus Radziwil, cui duo filioli, adhæserunt. D. Sigismundus Carolus, D. Alexander Ludouicus: Tres item ex duobus fratribus nepotes, D. Nicolaus Christophorus, D. Ioannes Albertus, D. Albertus Stanislaus Radziwil. eiusdem adhæc Illustriss: gener M. D. Gabriel Teczynski. M. D. Theodorus Skumin Palatinus Nouogroden: M. D. Ioannes Pac, Palatinus Minscen. M. D. Hieronymus Wolowicz, M. D. L. Thesaurarius, M. D. Stanislaus Kiszka, &c. &c. Ab his fulgentißimis Sarmatiæ vnionibus, dum vni lapidi Casimiriano cohonestando certatim incumbitur: Iterum

hic lætitia, iterum gratulatio, iterum triumphus, non explico, gaudeo decurrisse quos mihi præfixi carceres, nolo ingredi nouos.

Hos oporteret, si quæ fuerunt peculiaria huius, quæ aliorũ totius septimanæ (et fuerunt sua singulis) instituam vel extremo lineis effingere. Vnũ tango quod diei fuit quintæ: hoc, vt qui videris pietatis hactenus speciem, videas etiam statim pietatis fructum: qui videris honores Sancto habitos à suis, videas etiã sancti profusionem in suos. Anni iam lapsi supra sexaginta sunt et quod excurrit, tot scilicet vniuersè, quot à primo sui ortu Caluini numerat Euangelium, cùm Catholicum Palatinum (summus hic est à Rege in Polonia et Lithuania magistratus) non vidit Vilna: Palatinum & Catholicum dedit hic dies, dicam rectiùs, hoc die Sanctus. At qualem Palatinum? vt certare videantur inter se Ecclesia, Respub: Musæ, Mercurius: Senatus, populus: qui motis reliquis eum sibi vel vendicent tanq; ius, vel deligant tanq; patronum. At quomodo Catholicum? vt rectè iam meâ sententiâ illud audiat Caluinus quod in Claudij funere Caussidici; Dixi vobis non semper erunt Saturnalia. *At quo cum plausu? vt parum abfuerit quin plena concione audiretur illud militum Romanorum,* amores & deliciæ generis humani. *Quid multus fui, quid longus? Nomen posuissem et dixissem abundè. Quis enim est qui nescire possit radium illum Lithuaniæ* Nicolaum Christophorum Radiuilũ *Imperij Principem, Olicæ & Nieswisij Ducem, etc. Patria? at illa beatam se hoc ducit. exteri? at illi mirantur cùm vident laudes quas habuit antiquitas in suis summis, hunc habere in suis imis;* Homo Platonis, Princeps Aristotelis. *Quod eius gemina effigies, æri tam ab his quàm ab illa, perinuito quanquam ipso, incisa, & posteris sempiternum tantæ virtutis monumentum relicta, satis superq;, vel me tacente, proloquitur. Animi certè imaginem vtrobiq; adiunctam, poëtæ, quicunq; hi fuerint, non minus graphicè expresserunt, quàm oris lineamenta iconoglyptæ.*

Germanus quidem hoc schemate;

Magnanimi celsos Herois respice vultus,
    Imperij princeps, Dux Radiuilus hic est.
Iordanem vidit, Nilum bibit, omnia vicit,
    Seu mala mille salo, seu mala mille solo.
Ingenio certant alij, sit maior an armis;
    Vincere certè omnes Dux pietate studet.

Lithuanus

Lithuanus hoc ;

Templa Deo, turres patriæ, collegia Musis,
Ædes afflictis mundifugisq; dedit.
Gloria militiæ, lux pacis, cognitor orbis;
Si deni tales, vicimus Italiam.

Posterius hoc superlatè conclusum fortè nonnemini videbitur, mihi non item; adeò enim suam ditionem, quâ arcibus, quâ oppidis, quâ stratis viis, quâ aliis tam sacris quàm politicis monumentis ad speciem illustribus, illustrissimus heros exornat, vt Litalia Italiæ habeatur iam vel æmula, vel gemina. Sed ad metam propero, concludo.

Vides enim iam ex his, quod proposui mihi, Lithuania quemadmodum caleat, & quo igne caleat. Calor pietas est, Ignis sanctus est. in hoc & illo est bonitas DEI sanè summa. in illo, quòd fouet, quòd dilabi non permittit, & incidere in hac etiam mundi senecta, in qua refrigescunt corda multorum: *in hoc, quòd mittere radios sinit, spargere iubar in hac etiam caligine morum, hæresum tenebris,* & bonus Paterfamilias non abscondit sub modio, sed ponit super candelabro, vt luceat omnibus qui sunt in domo. *Lucebit autem quàm diu ille qui est lux vera, lux mundi, quem nulla vnquam superstitio, nullum schisma poterit infuscare; etsi omnis superstitio, omne schisma, omnis hæresis nitetur semper obfuscare: quamdiu illa,* quæ diligit lucem ambulat in luce: *quam nulla vnquam vis, nulla crux, nulla tyrannis expugnabit; etsi omnis vis, omnis crux, omnis tyrannis semper oppugnabit. Vis plura de Sancto: de Lithuania: irrausi, non possum: conclusi, nolo. Et ecce tibi in Theatridio suo præsto Musas Vilnenses, quæ possunt, quæ volunt. Possunt quia Musæ; volunt quia Vilnenses. Noli turbare Musicam, vetus est præceptum. Parebit huic QVIRINVS, tacebit, vt loquantur illæ.*

THEATRIDIVM
POETICVM

Sanctissimo & Castissimo Poëtæ
D. CASIMIRO.

Academici Parthenij Vilnæ
monumentum immortale.
PP.

Virtutem inuitã blandè vestigat & vltro
Ambit honor. Claud:

S. Casimirum opusculum affatur.

Orbis ô Arctoi sidus, noua gloria Diuûm,
Gemma Iagelloniæ, Dux Casimire, domûs;
Vilna triumphali tua dum sacra signa paratu
Excipit, indigetem deuenerata suum;
Me tibi Parthenij, Mariæ sacra turba, poëtæ
Certatim educunt, vocibus hisq; dicant;
Carmine qui Mariam cecinisti caste poeta,
Vatibus à Mariæ sume Theatridion.

CELEVSMA
Ad Sodales Parthenicos.

Age nobilis iuuentus,
Academiæ corolla,
Sacra virgini parenti,
Conde Duci virgineo, conde decens theatrum.
Rutilescat hoc theatro,
Heliconio theatro,
CASIMIRI honos beati,
Principis ac Lechiadûm, Cœlicolæ patroni.
Labarum viden' sacratum,
Dominâ orbis vrbe missum,
Ducis ora gloriosi
Quo radiant percelebri nunc fluitare pompa?
Viden' ora virginali
Niteant vt huic decore,
Roseo pudore tincta?
Hunc venerans concelebres ô Mariane cætus.
Hic honore singulari,
Studioque singulari,
MARIAM Dei parentem,
Vita quoad suppetiit, feruidior colebat.
Modulos pios & hymnos,
Propriâ incitus Thaliâ,
Cecinisse fertur almæ
Diuiparæ. Num resides hic eritis poetæ?
Celebra pium poëtam,
Mariano honore lætum,
Mariano honore lætus
Quisquis ouas Partheniâ pugil in palæstrâ.

Petrus Gracki Præfectus Sodalitatis.

HIEROPOMPILION
eiusdem,

Magnifico & perillustri Domino D. Leoni Sapiehæ M. D. L. Cancellario, &c. &c. SS. Regis SIGISMVNDI III. in hac pompa triumphali vices gerenti DD.

O Decor astrorum, quem, qui regit astra solumq;
Lucifluis dedit ire rotis per olympon, equisq;
Flammiuomis reparare diem, caligine pullâ,
Lætitiamq; orbi rutilis renouare quadrigis;
Si te Nuniades validâ prece sistere quiuit
In medio cursu, pugnax aboleret vt hostes,
Si prece Thesbæi vatis, trieteride tota,
Nec nimbos Hyades, nubes nec aquosus Orion,
Te prohibente, dabant; idem, si debita posco,
Parthenius vates, hodie Vilnatibus ore
Arride placido; non iis pugnamue famemue
Producturus, vtroq; malo satis hactenus actis;
Lætitiam sedenim celebresq; aucturus honores,
Quosq; suo indigeti iustos meditantur ouatus.
Tu *CASIMIRI* animam pura compage solutam,
Stipatam Aligeris, ad sidera lætus euntem
Contemplatus eras olim & veneratus ouantem,
Quoq; minor fueras, multo fulgore coruscam.
Hunc quia adumbrabit Vilnę modo pompa triumphum,
Temet splendidius iubar exere: solue iugales,
Dent leuibusq; iubas & colla fluentia ventis,

Nubibus

Nubibus amotis, vt solus ab ætheris arce
Clarus inoffenso prospectes lumine pompam,
Atq; Iagellonidæ sacros in imagine vultus,
Quos Litalis Itala CLEMENS octauus ab vrbe
Misit, vt admisit Decimi sacra scita LEONIS,
Auctor is augusti sacer atq; probator honoris:
Rege SIGISMVNDO pronepote instante, pioq;
Quo modo Vilnates gaudent Antistite WOYNA.
Sol ades ergò meis votis: Iam præscius horum
Fortè triumphorum; CASIMIRI nutibus, auram
Pestiferam purgas; ver mite, salubre, serenum,
Ac tempestiuis recreans ver imbribus arua,
Litthalidis affers. vix tale, prioribus annis,
Experta hæc Litauûm tellus: vt scilicet vrbem
Floribus, arboreisq; comis Zephyritis adornet.
Omen adhuc maius videas: en vertitur annus
Ac, anno vertente dies, quem Maius amœnus
Bis quinum numerat. nimirum hic ipse dies est,
Romanâ quo cum Labaro SWENCICIVS vrbe
Exiit. Hoc hodie, tibi, Cancellarie magne,
Magne LEO, multis præfatus, porrigit idem,
Æde suburbana STEPHANO quæ condita Diuo
Cernitur impensis Vilnatum ac imminet vrbi.
Redditur & ratio, cur non ita honorus hic antè
In patria CASIMIRVS erat. nece præsulis eius
Qui Romam legatus in hoc molimine rerum,
Penè videbantur decreta Leonis humata.
Scilicet in fatis erat hoc; pietatis vt ardor
Diuorum & cultus SISMVNDO in rege pateret,
Præsuleq; in WOYNA. Tibiq; hæc, LEO, fata fauebant,
Cui pietatis amor, virtus & multipla Regi
Dexteritasq; rei pro Relligione gerendæ
Ante probata satis, dedit hîc te, nomine Regis,
Sacratum Labarum CASIMIRIq; icona Sancti

 Excipere,

Excipere, inq; vrbem meritis inferre triumphis,
Excipe suppliciter, teq; auspice pompa feratur.
Ecce triumphales stant ordine quatuor arcus.
Primum Vilna tenet; grex virtutumq; secundum.
Dein artes comitata suas Academia Vilnæ,
Extremum Aligeri Vilnensia templa tuentes.
Omnibus his Diuus saluere iubebitur, & laus
Omnibus his eius, meritis celebrabitur hymnis.
Vilna triumphales vrbs conscensura curules,
Hortatura suos in ouantia iubila ciues,
Lætitiæ pia signa nouæ dent ore vel ære.
Ipsam Lætitiam stellanti ex arce vocabit,
Curarum expertem, lacrymas gemitusq; perosam,
Mæstitiæ genus omne polo depellere natam.
Addent se comites Plausus, Cantusq;, Choriq;.
Vix similem vidit pompam Iessæius Heros,
Cûm Symphoniacis modulatibus atq; triumpho
Angelici custodem epuli deduceret Arcam.
Sed iam progreditur fausto agmine & omine pompa.
I decus, i Litauûm Dux, i iubar addite Diuis:
Et cape quos pietas tua sancta meretur honores.
Cultricisq; tuæ propius res aspice Vilnæ,
Quæ tibi ponè forum nunc templum nobile ponit
Vtendum *DOMVI IESVM* assignatq; *PROFESSÆ*.
Totius imperij curam gerit, cuius auita
Sceptra tuus pronepos Rex amplo Aquilone gubernat.
Sit tibi cura tui procuratoris honoris
Pontificis *WOYNÆ* sit *SAPIEHA*dæq; *LEO*nis,
Qui quod opus cæpit *LEO* maximus arbiter orbis,
Nominis eiusdem *LEO* felici omine finit.
Omnibus his genus omne mali pius auerrunca,

Agmine

Agmine caſtorum caſti decorentur honores.

Magnum cœlicolam, Ducemq́; magnum,
Magnum Sarmatiæ datum Patronum.
Magnus Littalidûm Ducatus ornat,
Et pompa celebri & ſtato triumpho.
Cuius conſcia geſtit ampla Vilna,
Vilna Litthalici caput Ducatus.
In partemq́; vocat Triumphi Olympum;
Omnes liligeros chorosq́; olympi,
Quos ardens pietas amorq́; caſtûs
Cœleſtem comitare fecit Agnum.
  Hinc faceſcite puritatis hoſtes
Oſores animi pudicioris.
Diuorum male digna gens vocatu,
Quos Deaſtricolûm uetuſtus error,
Et ſuperſtitio prioris æui,
Deuotos Erebo, furenter aſtris
Tranſcripſit, venerans eos acerrâ,
Et ſalſa mola & hoſtiis cruentis.
Hinc ô Iuppiter impudens adulter.
Hinc ô Marſpiter & ſalax &[illegible]rox:
Hinc ô luxuriæ nefanda m[illegible]
Tu puerq́; tuus, cupiditatum
Incentor, ſcelerumq́; machinator:
Improbus puer improbæ parentis.
Nec minus Semeles Bromi propago,
Veſanæ ebrietatis ô Magiſter,
Hinc te fer Garamantas vltra & Indos.
Et vos ô nemorumq́; montiumq́;,
Et vos ô lacuumq́; fontiumq́;,
Incolæ nimis & nimis procaces.

Exceſſo

Exesto hoc procul ô procul Triumpho,
Qui casto struitur Duci, Triumpho.
Vos huc, vos potius mouete gressum
Non, indebita posco, quotquot æther
Claret Virgineo nitore claris;
Exosi iuuenes torum iugalem,
Exosi thalamum viri iugalem
Quos castum sine labe, viuit æuum:
Quos cælebs sine labe viuit æuum,
Nunc felix ideo tenetis æuum.
Vos huic vos decet interesse pompæ,
Agnatum decorare & hunc honorem.
Tu'q; ô ante alios pudens ephebe,
Acceptissime victimâ Tonantis,
Humani generis parens secundo
Quem partu dedit has breues in auras,
Fraternâ inuidiâ innocenti ademptas.
Tu'q; ô Rex Solymæ, simul Sacerdos,
Cui Tori sociam negant fuisse.
Tu'q; ô Nuniade potens stratege,
Potens sistere vi precationis
Solis prærapidi citas quadrigas.
Vatum ex ordine vos'q; quinq; primi
Quos narrant adamasse castitatem.
Tu'q; Amosiade, politiori
Qui Musâ loqueris, canis'q; Christum
Quam letho dedit heu acuta serra.
Tu'q; ô Helciade, tuæ ruinam
Gentis carmine flebili atq; fatum,
Qui dequestus es antè nunciatum,
Et tu, quem Babylonio Tyranno
Charum, sed supero magis Monarchæ,
Non lædunt rabidi fame leones.
Et tu triga pudens iuuenculorum,

Quos

Quos innoxia flamma lambit ignis.
Tuq; ô Sophorade, pudice vates,
Cum tuo & Domino & pio Magistro,
Quiq; abs æthere deuocauit vndam,
Quiq; abs æthere deuocauit ignem,
Qui perq; æthera in igneis quadrigis,
Eoos adijt vocatus hortos,
Felices, vbi nunc moratur, hortos.
Vos cum mundifugis Rechabi alumnis,
Cum vatum numerosiore prole,
Prolem & coniugium abnuente prole,
Huc, facto agmine, conuenite, testes
Vt sitis Casimiriani honoris.
Nam Respublica Christiana quotquot
Heroas tulerat pudiciores,
Ad hunc sponte sua ruunt Triumphum,
Pleriq; in niueis stolis corusci.
Quosdam purpura mista candidatos
Fusi symbolon obtegit cruoris.
Hic est Zacharides choragus & Dux,
Dux illis Zebediades Ioannes,
Hic Regi Superûm placens & ille:
Hic ætate placens pudica & ille:
Hic Apostolus, Antecursor ille.
Hunc ingens legio sequens & illum
Deducit Litaui Ducis Tropheum,
Læto carmine concinitq; pompam,
Festiuo agmine comprobatq; pompam.
O pompam satis ac super celebrem,
Quam certatim homines pij frequentant:
Quam pij Superûm chori frequentant,
Quid mirum Superos suapte sponte,
Et nostro faciles vocatu adesse?

Eulogia Casimiriana.
Diuus virgineo pudore diuos
Expressit Casimirus vnus omnes.

Perillustris D. Nicolaus Christoph Radziwil.

Gratior illustri fulgens in sanguine virtus.

Docto Castalides carminis alite
Pulsent flexanimis æthera cantibus;
Arguto facilem pollice barbyton,
Tendat Terpsichore fortia pectora;
Ætatis teneræ munia soluere
Quam solers ? genitus sanguine Regio;
Cinctus ter triplici robore pectoris,
Regis cœlituum militiam petis,
Mentem ornare parat dotibus entheis.
Non tot mella nemus procreat Atticum:
Non tot signa nitent ætheris ardui,
Quot quantisúe animum sollicitus piè
Virtutum studiis excolit impiger;
Virtutum ratus in corpore nobili
Phœbi ceu radios fulgere clarius.
Non ille innocuos munere prodere;
Afflictos inopes sœnore perdere.
Non gazas tenebris abdere tetricis.
Æstus æquoreos passus vt institor,
Vndis ne pereat, dat pelago libens
Infido bona quæ credidit Æolo;
Vitæ sic fragilis fluctibus innatans
Casmirus, Superûm litoris appetens,
Æternas vt emat, dat fluidas opes.
Vitam virgineis conspicuam notis

Dum

Pompa Casimiriana.

Dum castas metuit perdere, perdidit
Mortalem, miseris seruitium graue.
O dignum facinus pectore regio!

Christophorus Constantinus Bialosor.

Aporicon.

Virgo, nec molles inter numerande puellas,
Martyr; nec roseo colla cruore mades.
Intactus ferro: violente nec haustus ab igni,
Nec datus es gelido, Dux Casimire, vado.
Virgo non sexu; Martyr non sanguine; quænam
Caste pugil meritis palma sat apta tuis?

Idem.

Monumentũ ære perennius.

Mausolæon habes, Casimire, perennius ære,
Regalium sublimius Pyramidumq; situ.
Quod non imber edax, non diruat impete Corus,
Series quod annorum fugax non abolere queat.
Pars bene multa tui Libitinam viuida vitat.
Ten fabor omnem mortuum, cuius & ossa vigent?
Ossa vigent ægrisq; nouant, res mira, vigorem,
Perinde vis ac efficax Numinis insit eis.
Semper laude recens, in postera sæcula, cresces,
Vilnensis hæc dum Pontifex ad sacra busta litat.
Villia qua violens, Arar, Istula, Tybris & Ister
Strepunt, Iber, quâ gentium regnat in orbe nouo;
Diceris Princeps, Lituaæ regionis asylum,
Vitæq; Phœnix aulicæ, flosq; pudititiæ,
Sydus inocciduum diceris ouantis Olympi:
Hærentis Agno cœliti, parsq; decora chori.
Hic meritis quæsitus honos, tituliq; superbi,
Superare quem superbiam iuuit in orbe, decent.

Valentinus Vngerus.

Gestamen D. Casimiri.

Lilia Virginei Symbola cordis habent.

Lilia pro sceptro geris ô Casimire ?, pudici
Symbola sunt animi non dubitata tui.
Lilia præradiant herbis candore niuali ?
Gratior in casto pectore candor inest.
Lilia lecta manu decorant fulgoribus aras ?
Astra tuæ niueus uirginitatis amor.
Lilia nectareis hilarant an odoribus auras ?
Virgineo recreas castus odore Deum.
Casta decent castos: tua, flos Casimire pudoris,
Lilia iure manus, signa pudoris, habet.

Euchardus Gadlowski.

Sceptriferis decus addite Diuis.

Sceptriferos Reges, & Regum sanguine cretos
Miramur meritis astra tenere suis.
Delicias cœli, miracula dicimus orbis,
Quos non infecit moribus Aula suis.
Primitiæ Regum Christi sacra Signa sequentum,
Tres Reges fuerant, signiferiq; Magi,
Ex Arabum regnis, & odoriferis Nabathæis,
Dona recens genito qui tetulêre Deo.
Mitto pios, qui rexerunt Orientis habenas.
Pauca per Europam sceptra referre sat est.
Romano Imperio, validisq; Tuisconis oris,
Cæsaris Henrici lux Caroliq; nitet.
Edmundum, Osualdum veneratur & Anglia plures.
Francigenûm regio te, Ludouice, colit.
Dania Canutis, Suecania gaudet Ericis;
Vnica Noruegis laus es, Olae tuis.

Stirpe satos Gothica iactat Burgundio Regem
Sigismundum atq; potens Hermenigildin Iber.
Pannonij Stephanus, natusq; Emericus ab illo,
Rexq; Ladislaus, lumina terna soli.
Dux Vencesłaus decus est sublime Bohemis.
Summus & Austriacis, Dux Leopoldus, honor.
Laude Boleslaum vehit ora Polona Pudicum.
Te celebrant Litaui, Dux Casimire, tui.
Horum alijs animo Soterem & sanguine fuso
Testatis, palmas, præmia ferre datum.
Christi alios defensus honos, adamataq; cœlo
Admouit pietas: hi meruêre rosas.
At quos virginitas sanctæ & reuerentia famæ
Iuuit, ij manibus lilia bella gerunt.
Dux Casimire, rosas, culta pietate, mereris,
Ac tibi virginitas lilia ferre dedit.
Et quia virgineum testaris morte pudorem;
Victrix victorem te quoq; palma decet.
Ter felix ô sceptrigeris decus addite Diuis,
Quem simul addecorant lilia, palma, rosæ.
Erlandus Haldorus Noruegus.

Beatus vir qui inuentus est sine macula, & post aurum non abijt, Eccl. 31.

Ter fœlix animi vir qui sine labe repertus,
Nec temerante suum maculauit crimine nomen;
Qui post aurum, & opes, animis opulescere certis,
Non abijt, neq; qui furor est sceleratus habendi,
Spes in thesauris, nummûm loculisq; locauit.
Ecquis hic est? olor ater hic est: meritissimus omni
Laude sub astra vehi, nitido ipse nitentior astro.
Fecit enim cunctis opus admirabile viuis.

Fecit enim cunctis opus enarrabile Diuis.
Si non Dux Casimirus hic est, puto consore nullum.
Nempe probatus hic est, beneq́; exploratus ad vnguem:
Perfectusq́; metu, perfectus amore Satoris.
Hunc ideo perpes sublimem gloria tollit.
Per scelus haud erat hic transgressus limitem honesti,
Cùm toties posset. Solet esse licentior Aula,
Et ridere pios, vitiisq́; subinde fauere.
Quod fouet aula malum, Casimirus vbiq; petosus.
Hinc stabilita tenet bona nunc sub Numine tutus.
Hinc eleemosynas, quas largus & iuit egenis
Suppetias, Diuûm perpes chorus enarrabit.

Petrus Tarwoyn.

Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit, Sap, 4.

Iustitiæ vir amans, tibi par Casimire, piiq;
Propositi, rectiq; tenax, quacunq; sub hora
Insidiis lethi fuat interceptus auari,
Raptus & ante diem, tamen haud est flebilis vlli.
Nempe refrigerio potitur, neq; carpitur æstu
Labilium rerum ; ditissima Regia Diuûm
Quem tegit, ac ditat securum ardentis Auerni.
Nec præcox, nec tarda nimis mors illa putanda,
Mors preciosa Deo, quæ iustos eximit æuo
Florenti licet, ac rutilis bona destinat astris.
Fas vbi non visæ damnum reparare senectæ.
Non adeò debet venerabilis illa videri
Quæ diuturna sit, aut annis numerosa senectus.
Si cani sensus, senio & prudentia par sit;
Si macularum expers, si sit sine crimine vita,
Hunc animi satis hunc maturum dixeris æui,

Ergo

Ergo satis, lustris Casimirus quinque peractis,
Naturæ, atq; sibi poterat vixisse videri.
Scilicet æthereo placitus charusq; Monarchæ
Sontes inter agens homines, quibus vna voluptas
Irritare pium noxis, vitiisque Satorem.
Hic exemptus iis, translatus in arua piorum,
Raptus hic in roseæ primæuo flore iuuentæ;
Ne qua mali facies, & iniqua licentia morum
Mite cor abriperet, scelerumq; per auia ferret
Deuotam Superis mentem, neu, cuius abundè,
Fictio fraus ue animum fallaci luderet arte.
Scilicet innumeros hic nugax fascinat error,
Et bona quæque suis studet obscurare tenebris,
Rerum amor instabilis, breuis, inconstansq; voluptas
Sæpe cor absq; dolis, inapertaq; pectora noxæ
Transuertit, sensus sibi nil hostile timentes,
Dulcibus illecebris populans, animumq; labantem
Inflexit victrix, & ab æthere vulsit amico,
Seruitioq; premens domuit iam numine læso.
Huic tamen haud cessit, cœlesti robore fretus,
Dux Casimirus, honestæ optans occumbere morti,
Quàm prius huic vitam spondenti fidere monstro.
Ergo voluptatis consummatissimus osor
Hic paucis annis expleuit tempora multa.
Casta Panomphæo mens acceptissima Regi
Eius erat, proin' hanc terris eduxit iniquis,
Atq; reclusa piis properanter in astra recepit.
Vnde suos contemptores modo vana tumentes,
Cœlesti cum Rege suo deridet, Auerno
Deuotos, nisi fortè fuant meliora secuti,
Quodq; piè facimus, Casimirum in vota vocârint.

Thomas Wysoczarski.

S. Casimirus verus Euangelicus.

Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 12.

Ecquod genus hoc est hominum rebelle, fallax?
Prætendit an Euangelij suaue nomen,
Vt sic animos blanditer inscios venenet?
Euangelici? scilicet. Æquius pudendi
Euantis eos ac alacres gulæ Ministros
Euangulicos vangelicosue nuncupâris.
Nam quid nisi vanum, leue, putidum, nefandum,
Tristi laniena torua quod illinit Megæra,
Illa hæreseos omnigenæ furens magistra,
Euangelio pro solido, suis propinant?
Euangelicis hi monitis an obsequuntur?
Dictis domini, fallere nescij, volentis
Moremq; sibi cunctimodum geri, audientes?
Quæ spes miseras, quæque licentiam petulcæ
Laxare videntur, Superû in fauore, carni;
Ac si liceat viuere liberè vt libebit,
Fretis bonitate ac miseratione Christi;
Hæc arripiunt, hæc modò venditant popello.
At quæ rigidi iudicis horridum tribunal,
Diuûmq; metus, ac iter arctius loquuntur
Vafrè taciti dissimulant vel eleuant hi
Digni Gyaris Belialis Lauerniones.
Euangelicum nosse vin' ac videre verum?
Non Alcinoi Regis in arce quæritandus.
En ante oculos, atq; manus refulget inter.
Possem innumeros. Innumeros hic æquat vnus,
Tutor Litaui Dux Casimirus orbis idem,
Euangelicæ legis hic executor acer
Summis meruit principibus poli iugari.

Præcinctus erat virgineo pudore lumbos.
Euangelium quod iubet, imperatq; agendum.
Fraudans genium muneribus cibi atq; somni,
Rallâ tenerum corpus, & edomans Cilissa,
Odit Venerem, Virbius alter, angue peius.
Fœdum Veneris pharmacon ille respuebat,
Vnum licet illud reliquum foret saluti
Certò reparandæ, satius ratus pudorem
Præferre neci. Tantus amor pudoris illi.
Euangelicum, si potes, hunc nega fuisse,
O vangelij vane Thalassini professor.

Athanasius Hieronymus Ciechanowicz.

Lucernæ ardentes in manibus vestris, Luc. 12.

Præcingi lumbos, gerere ardentesq; lucernas
In manibus, pie Christe, iubes, pia iussa facessit
Innumeros inter, Litauûm noua fama, decusq;
Cœlicolûm, Casimirus: vt huic data præmia fantur.
Ille rigore pio iuuenilia membra coercens,
Effugiens Venerem, vitansq; Cupidinis arcus,
Arsit amore tui, Poteratq; lucerna videri
Vsq; ardens, cæptisq; piis, operumq; labori
Vsq; insistens, vi potitur ditione polorum.
O pia vis, ô amæna Deo violentia Regi!
Scilicet his ausis repletur Curia Diuûm,
His Erebi fas est auidas inhibere rapinas,
Quàm te nunc modico iuuat indulsisse labori!
Quàmq; voluptates iuuat effugisse nefandas!
Quàm iuuat ardentes manibus gestasse lucernas,
Præq; tulisse faces aliis ad olympica regna!
Est vbi nunc tibi parta quies, vbi parta voluptas

Irresoluta quies, vera & sincera voluptas:
Est vbi parta salus, cui nullo terminus æuo
Panditur. Hic hærens dominanti proximus Agno
Gaudia seruati capis, ô Casimire, pudoris:
Atque, dem sacro celebraris honore per orbem.

Andreas Haymontowi z.

Beatus quem Dominus inuenerit vigilantem, Luc. 12.

Beatus ille seruus
 Soteris est oraculo,
Sopore qui repulso
 Et excubat & peruigil
Heri manet regressum
 Ex nuptiali gaudio.
Vt malleo, vel ære
 Dat ille signum tinnulo,
Mox hic fores recludit,
 Reducemq; lætus excipit.
CASIMIRE perbeate,
 Omni vigil tu tempore
Indesinenter orans,
 Et continenter entheis
Negotiis inhærens,
 Tuum manebas iudicem,
Herumq; præpotentem.
 Tu fores vt corporis
Languore pulsat ille,
 Vultu sereno gestiens,
Sereniore mente,
 Non imparatus excipis.

Mox

Mox morte ventitantem
Frustra moras vult nectere
Tibi Venus nefanda.
Et mente recti conscia,
Et fretus æquiori
Dei tui clementia,
Erumpis ad vocantem,
Quo perfruuntur cœlites
Ad gaudium vocantem.
Insomnis hoc tibi fides
Lætissimo laborum
Peperit perenne gaudium.

Stephanus Sopocko.

Asmodæus.

Acheronta mouebo.

Huc delicias duc Venus huc amœnitates,
Huc illecebras duc Venus, huc cupiditates,
Huc nequitias duc Venus, huc procacitates,
Huc filioli duc Venus illicis pharetras,
Lusus, choreas, flammea, flammulas & omne
Quod flexibilem fascinat & capit iuuentam,
Ludi facilem luxibus aulicis iuuentam;
Blandis *CASIMIRI* cor ô imbuas venenis;
Blandissima, blandisq; valens Venus venenis.
Quid? non Veneris tæda, Cupidinisue tela
Sternant Casimirum? nec Erinnys Asmodæi?
Flammare animos luxuriâ potentis Asmodæi?
Dulces hymenæos, Veneres, Cupidinesq;
Num defugiat, spernat & execretur vnus,
Vnus iuuenis regius, atq; mollicellus,
In deliciis editus aulicis & altus?

 Mores

Mores iuuenum damnet an vnus hic amantum?
Non, pol, patiar, totum Acheronta concièbo,
Clotho iaculum, faxo, suum minetur illi,
Faxo cruciet morbus atrox pudendus illum,
Faxo, ilia tentigine torqueantur ima;
Non Hippocrati, non Epidaurio medenda.
Regi nec & ipsi Superûm, reor, leuanda.
Morbum nisi malit præhabere sanitati,
Morti velit amens nisi posthabere vitam,
Sola huic poterit, sola Venus malo mederi.
Aut se obstreperus polluat, aut luat, ruatq;.

Angelus tutelaris,

Tela irrita iactas.

Frustra Veneris delicias, amænitates,
Frustra illecebras huc trahis & cupiditates,
Frustra trahis huc nequitias, procacitates;
Frustra medicatas pueri illicis pharetras;
Lusus, choreas, flammea, flammulas in istum
Armas iuuenem, luxuriæ pudende suasor.
Non hunc Veneris tæda, Cupidinisúe tela
Sternent, nec Erinnys tua turpis Asmodæe.
Custos Casimiro datus & magister æqui,
Si quæ mihi vis, à furiis tuis & orci,
Tutum dabo; nil iuris in hunc pium, modestum,
Pulchris iuuenem moribus, integrum pudore,
Casta iuuenem virgine quaq; castiorem,
Fallax Venus aut ipse Acheron furens habebit.
Stant pro thalamo candida Castitas Pudorq;,
Stat Temperies sobria, stat Rigorq; sanctus
Vitæ, domitor carnis & arbiter petulcæ.
His excubiis non stygias pauebit artes.
Blandæ Veneris non metuet latens venenum.

His

His sub clypeis non tua tela pertimescet,
Tela ignea, nequissima, machinasq́; diras,
Diro fabrefactas in Auernidûm camino,
Diuinus amor sopit Auernicos amores.
Igniq́; Dei extinguitur ignis Asmodæi.
Morbus cruciat propudiosus ilia illi?
Omnem potis est rex Superûm leuare morbum.
Si noluerit quò properet polum merenti,
Labi Casimirus prius emoriq́; honestè
Quàm vel minima se volet inquinare labe.

Fridericus Skotowski.

Funere vita datur.

Vernanti Casimire viges vbi castus in æuo,
Oraq́; virgineo tincta pudore geris,
Te cupit esse suam soboles cythereia prædam,
Dirus amor prædam te cupit esse suam.
En volat armatus telis tædisq́; Cupido,
Fert pro se tædam telaq́; dius Amor.
Viribus intorquet totis sua tela Cupido:
Nec secus intorquet spicula dius Amor.
O quantum dispar fit vulneris ictus vtrinq;,
Inde necem tibi fert hinc tibi vulnus opem.
Inde flagrant rursus grauiter pia pectora flammis,
Suauiter hinc pectus dius adurit Amor.
Telis tela iuuant, curatur vulnere vulnus,
Flammis flamma cadit, funere vita datur.

Gaspar Erazmusowicz.

Insolitâ mors morte petita.

Nec timidè: Heroes animarum tædet & vmbris
Cui damnatum altos dulcius isse dies?

Nempe occursuris mortes impendere seclis
Gloria magnanimis solum habitata rogis.
Tu quoq; multo alacrem possessus numine mentem
Diue Iagellonide gaudia mortis aues?
Morte, repugnantem morti tibi gliscere mortem
Et mors insuetum morte petita volup.
Sæuaq; virginitas (prô sacra infamia) mortis
Ambitur tantum semper inausa decus,
Heroum coiisse animas, & verius omnes
Iuratas vno corde stetisse putem?
Ille pudor vitâ fugientes exuit artus,
Laxato frenum dum furiale negas:
Anne negas? mors ille: sed ô morere, inquis, & astris
Intactam hanc mortem da, Casimire, tuis.

Paulus Suederus Kyttingius Danus.

Semita castitatis.

Vitam quæ faciunt pudiciorem,
Quam Diuus Casimirus egit, hæc sunt
Mens non ocio amica, sed labori,
Non fluxis inhians, sed æuiternis,
Configens Domini timore carnem.
Carnem heu hostibus vltro fœderatam,
Refrenans oculos & os & aures,
Obstans vel minimæ cupiditati,
Obstans principio rebellionis,
Motæ spiritui rebellionis,
Lustra & pestiferos cauens sodales,
Sacra & frugiferos amans sodales:
Non tam cominus ambigente pugna;
Quam fugâ sibi consulens honesta,
(Deletur citius fugâ cupido)
Authoris memor omnia intuentis;

Soteris memor ah nefanda passi,
Ternorum memor & nouissimorum,
Quam mors certa sit, hora mortis anceps,
Quam sit styx fera quamq; finis expers,
Nunquam lectio turpium librorum,
Lectio vtilium frequens librorum,
Consuetudo virûm sagaciorum,
Conuictus iuuenum pudentiorum,
Lasciuæ domitura sancta carnis,
Tortum verber & hirta ralla villis,
Quæ fraudet genium sine arte mensa,
Non mollis torus, ast humi cubatus,
Somnus cui placeant breues tenebræ,
Nunquam crapula, sobrius meri vsus,
Vsus feruidus & frequens precandi,
Non ingratus amor Satoris almi,
Ardens cordis eum focus perennis,
Hæc seruata velis, nihilq; malis,
Sic tela irrita torserit Cupido.

Ioannes Kydius Danus

Norma iuuentæ.

Non vsitato Pieriam chelyn
Hoc in vireto me iuuat icere:
Lithuaniæ beate suades
Indiges ô Casimire nostræ.
In carmen, ô si Stesichorus forem
Linusûe, laudes concinerem tuas
Pari Camœna, flos Olympi,
Sarmatici iubar, ô & orbis.
Tu Rege Summo Sarmatiæ satus,
Amore summo Regis olympici,
Te ducis infrà quicquid Aula,
Quicquid & orbis hic obstupescit.

Pudorè caſto te neq; Virbius
Pudicus anteit, ſed neq; Democles
Qui maluit mori, pati quàm
Turpiter. Antetuliſſe ceu te
Mores pudicos Perſephones nimis
Telisq; Clothûs poſteritas canit.
Neue auribus ſurdis canatur,
O iuuenes adhibete mentes.
Exemplar en quàm conſpicuum domi
Integritatis fulgere cernitis.
Hoc intuentes exprimamus,
Hoc ſtet alacriter æmulari.
Fundamus illi vota, ſecundet vt
Noſtros labores: vt patriam malis
Preſſam leuet, pellatq; Martem,
Numinis & prece placet iram.
Monarcha Sigſmundus pronepos ſuus,
Cum Wladislao filiolo diu
Feliciter regnet, ſuosq;
Proſubigat generoſus hoſtes.

Petrus Rudomina.

Qui vicerit, faciam eum columnam in Templo Dei mei, Apoc. 3.

Αὐτὸς ἔφα Χριστὸς, comes ô fidiſſime Chriſti
In Patmi ſcopulis exul vt audieras;
QVI male pacatos animarum *VICERIT* hoſtes,
FAXO ſit *IN TEMPLO* firma *COLVMNA DEI.*
Deuiciſti animis, Caſimire, virilibus hoſtes
Quos in te armauit Iuno, Cupido, Venus.
In carnem venasq; Venus meditata venenum:
In ſpeculam inq; oculos dire Cupido ruis;

Iuno

Iuno cor extumidum vultumq́; ſuperciliosum,
Oſq; ſuperbiloquum, qua valet arte, facit,
Irrita cuncta facit: ſeſe huic ſubmiſſio mentis
Obijcit, iis, ſociâ Virginitate, Pudor.
Virtutum *CASIMIRVS* ouat victricibus armis,
Fitq́; Sionææ firma columna domus
Non metus, alma Sion, iſto firmamine ſtabunt
Quotquot hyperboreo templa ſub axe tenes,

Ioannes Lago Varden: Danus.

Ad Romam.

Roma, Columniadûm gens en generoſa tuorum,
Quæ fuit antè ſoli, facta columna poli.
Laude quòd Herculeas ſuper, iſta columna, columnas
Nunc eat, arbitrio debet, alumna, tuo.

Idem.

Myrrha & caſia in veſtimentis eius, Pſal. 44.

Nate Deo genitore Deus, vir Virgine nate,
Qui mundum æterno iure thronoq́; regis,
Quem ſuper æquæuos genitor pius vnxit oliuo,
Lætitiam ſignans imperiumq́; tuum,
Cui ſceptrum trabeamq́; dedit, decora inclyta Regum.
Quis venit è trabea porrò ſuauis odor?
Scilicet è loculis odor hic afflatur eburnis,
Nam fore ſic vates Regius ille canit.
E loculis vbi verſicolor tua veſtis odorem
Et Myrrhæ & Caſiæ ſpirat inexplicitum.
Hic ſimul aſſiſtunt pronæ ad tua iuſſa miniſtræ,
Regali eximium nobilitate genus.

Fallor? an hæc Diuum Casimirum oracula tangunt?
Regali fuit hîc nobilitate satus.
Regia mens & huic iussis parere parata,
Christe, intenta tenens nutibus ora tuis.
Pectus huic niue candidius, cor prorsus eburnum.
Candido ab hoc loculo qualis ô halat odor!
Hoc sacra turba tibi, tua vestis, odore vigescit,
Præcipuè Arctois instita tensa plagis.
Hic Stactæ, myrrhæq; odor est Casiæq; rubentis.
Nomen ab his plantis num Casimirus habet?
Moribus à Diui non multum abludit honestis,
Moribus à castis nomen olensq; frutex.
Stillat odoratus liquor icto à cortice myrrhæ,
Corpora ne putreant huius amaror agit.
Flos Casiæ mera Coa refert & aromata odore,
Prouenit vuidulis vberiorq; locis.
Est subamara quidem carnis domitura proteruæ,
At putorem animæ reprimit atq; situm.
Dum caro sponte famem perfert, probra, verber, odores
Afflat, odoriferum ceu diapasma, Deo.
Mens pietatis amans, castiq; pudoris ad ipsum,
Iugiter augescens, surgit opima polum.
Non Casimiri ea mens? hic viuus odorat & ornat
Diuus regillam, Rex pie Christe, tuam,
Ille pudoris erat sanctiq; rigoris amator,
O miram myrrham! castam ô & hanc Casiam.

Ioannes Kraykowski.

Rex stirpe propinquus
Pietate propinquior.

Diue faue: maior pietatis nascitur ordo,
Regalisq; nouo te auget honore labor,

Et iam cognata multus pietate laborans,
Sanctus vtrinq; pium fœdus amicat amor.
Quæ te Sarmatiæ pie Sigismunde monarcha
Æqua tuis meritis Pieris orbe canet?
Condis Apostolicum testis Cracouia, templum
Materno patruo surgere templa iubes.
Regificisq; iuuas opibus, Diuûmq; fauorem
Iam certas studiis æquiparare tuis.
Dardanium AEneam supremi Musa perennat
Vatis, & heroæ gloria prima lyræ.
Dumq; iterat crebros multæ pietatis honores,
Multâ iterat summi symbola laude ducis.
Nunc si iterum referant repetitis secula lustris
Smyrnæumq; iubar, Romuleumq; decus,
Romuleus vates, & magnæ gloria Smyrnæ,
Metra incusarent laude minora tuâ.
Hic formidati iuuenis momenta Tonanti
Despiceret nulla iam repetenda chely:
Ille Deûm genus AEneam, Latijq; parentem
Rideret tenui iure furore cani.
Non tamen æthereæ pietas gratissima sedi
Exili intrabit postera secla fide:
Dum puro Litaui *CASIMIRUM* thure celebrant,
Perpetuantq; omni virginea ausa tholo,
Regalis repetet te munificentia secli,
Et vicina canet gloria Regis opus.
Illenè inocciduo cœli claratus honore
Ingratum insideat munifica astra decus?
Virgineus priùs ille pudor, quo possidet astra,
Infectus Diuo separet astra suo.
Te patrocinij meritò pars maxima poscit,
Quem propior sancti sanguinis ornat honos:
Et maior Diuo meritorum gratia nectit,
Et patrij iungunt inclyta sceptra soli.

Nec dubita: vicit pietas ter maxima terras,
Cœlicolis summo proxima facta gradu,
Iamq; patronali Diuus firmabit amore,
Quæ tu terrarum Rex pius arua tenes.
Sic dulci alternans tecum patriæ ordine sceptra,
Cognatæ æternas iura propinqua domus.

Gregorius Laurentius Gothus, S.R.M. alumnus.

Cœlesti fœdere iungit.

Lechiaco quondam celebris Lithuania regno,
Auspiciis fuerat iuncta, Iagello, tuis.
Fœdere iuncta tori regum, sellisq; Senatus,
Marte, toga, cultu, relligione pari.
Hoc disiuncta tamen; sterilis quòd pignora nulla
In fastos Diuûm, quos colit ara, daret.
Ora Polona ferax Diuorum anathemata Romæ,
Sacrorum Dominæ, Pontificiq; tulit.
Huius Adalbertus sacri pars prima Senatus
Atq; Stanislaus, clarus vterq; pedo.
Fratrum quina cohors hæc sanguine purpurat arua,
Dius odorat & hanc flos Hyacinthus humum.
Nec dum effœta manet; mox, spero, datura Beatum
Costkam, quem IESV misit in astra cohors.
Hoc discrimen erat; sed iam *CASIMIRVS* honore
Diuûm auctus, vinclo nobiliore ligat.
Nobiliore ligat, sacras iam cultus ad aras,
Numine par Sanctis, terra Polona, tuis.
Quos virtus pietasq; iugant, hos numina iungunt:
Quis dirimat quæ vult consociata Deus?

Matthæus Wolotkiewicz.

Phosphorus

Phosphorus Prosapiæ.

Phosphorus agnatos inter flamantior ignes
Emicat, aspergens luce recente diem.
Hoc duce Dux astrorum alto micat æthere Phœbus
Clarior, & melius fundit ab axe iubar.
Sic *CASIMIRE* tuæ nitidissime phosphore gentis,
Luce Iagellonium nomen ab axe rigas:
Sic vita, sic morte micas, sic æthere Diuus,
Maiori effulges, lux numerosa, die.
Exemplum viuens, mortis clarissimus ausis,
Nunc omni spargis facta stupenda solo.
Non hoc Phosphorei patiuntur lumina cursus.
Hæc nocturnam omni lampada spargit humo.
Te tua, Diue, suum prosapia Phosphoron effert?
Te totum astrorum rectius aio chorum.

Daniel Colupedius Pomeranus.

Næ Casimire sapis.

Exhibet Ambrosias gemmata trapeta saginas:
Tu quasi Tantaleam pergis amare famem,
Vndiq; turrigeras symphonia personat arces;
Tu contra lachrymis ora venusta rigas.
Peruigilant auro nitidæ: coccoq; cohortes;
Nocte sacras ædes incomitatus adis.
Virgineæ inuitant choreæ: non respicis, almæ
Virgineum mentis quo tueare decus.
Dum facis hoc, sugillat Apicius omnia, nempe
Quem Sophia insanus despoliauit amor.
O *CASIMIRE* decus Litauûm, sapit ipse profectò
Nil in iis quisquis te sapuisse negat.

Henricus Schachtius Holsatus.

Virginitate prior.

Lumina per varias animi dum verso latebras,
Sumat vtinde sibi quod mea Musa canat;
Castæ mentis amor prior emicat, ille secundus,
In cupidos oculos fulgetra clara vibrat.
Non aliis CASIMIRE iaces virtutibus orbus;
Vincitur at face lux à potiore minor.
Lilia Narcissos quantum candentia vincunt,
Et quantum vrbanos hortus odorat agros,
Tantum aliis nitor Hippolyti splendoribus anteit.
En quas virginitas condat honoris opes.

Gaspar Bilducius.

Arma sui victoria vincit.

Bella parens trucibus Rex hostibus hostica mouit:
Bella moues animo Dux CASIMIRE, tuo,
Illius est regno laus circumscripta Polono:
It tua laus tellus qua spaciosa patet.
Nimirum armigeras non tantum est vincere turmas;
Quàm præclara animi ferre trophæa sui.

Ioannes Szwanski.

Gustauit & vidit quàm bona negotiatio eius. Prouerb. 31.

Odi lasciuum Diuæ Simoentidis agmen,
Porgit Acidaliæ quod mihi pocla sapæ.
Quâ iugulatus erat quondam Tirynthius heros,
Fucato sapiens dulce sapore malum.
Odi Bassareo titubantia membra lyæo,
Oraq; turpiculum commodulata melos.

Odi

Odi Pœonidas, nocuasq; Machaonis artes,
Quæ voluêre meum me maculare torum,
Iure odi, nam vidi acie, penitoq; palato
Gustaui, quæ mens sit placitura Deo.
Quæ sint cum castis animis commercia Diuûm,
Si saperes, eadem tu simul eligeres.
Martinus Koßowski.

Iustus vt palma florebit.

Vt palmæ defixus apex salientis in vndæ
Margine, fructipari floris honore viret:
Ac similem seruat constanti fronde vigorem,
Nil caries illi nilq; putredo nocet.
Horrida non vitiant glacialis frigora brumæ,
Nec face cùm torret Sirius acer agros.
Sic florebit inocciduo *CASIMIRVS* honore,
Qui flos hoc fructus fecit in orbe pios.
Hunc Pater omnisator medio transfeuit Olympo,
Floreat vt palmæ iustus ininde modo.
Petrus Dybowski.

Eligo virgo mori.

Fouerat implacidum *CASIMIRVS* in inguine morbum,
Et iam spes vitæ non erat vlla super.
Clinicus accitus docet illum viuere posse,
Viuere si læsa Virginitate velit.
Territus illicito iuuenis medicamine castus;
Institor an validas perderet inquit opes?
An viuam? sed vita mihi maculata sepulchrum,
An moriar? iuueni mors at acerba venit.
Et viuam & moriar. viuam cum Virgine IESV,
Cuius amore lubens eligo Virgo mori.

Dixit

Dixit & heroa moriens virtute sigillat
Et vitam & mortem virginitate suam.
Andreas Lansedtus Liuo.

S. Casimirus miles Christian⁹.

Quis vir hic est? Miles. quis huic Polemarchus? IESVS.
Quæ galea huic? summi summa cupido boni.
Quæ lorica? æqui. quis baltheus? orbita veri.
Quis gladius? Pietas. vmbo quis? alma fides.
Tegmina quæ sunt huic? animi constantia celsi.
Sub pede quid? frameas hostis atrocis agit?
Certanti quid opus? ducis enthea gratia Christi.
Victori quis honor? laurea serta poli.
O honor ingenio mortali maior & orci
Quem Deus æternat firmus & amplus honor.
Hocce Iagellonides duce & his victricibus armis
Pugnam obit, hispalmas Dux *CASIMIRVS* adit.
Thomas Abircrombæus Scotus.

In pictorem Labari Casimiriani.

Dum labarum, *CASIMIRE*, tuum vultusq; verendos
In labaro Zeusis pingeret Ausonius,
Hoc se tam sancto negat esse labore grauatum,
Tædiaue expertum: credo ego, Zeusi, tibi.
Credo ego directos à Diuo subq; leuatos,
Articulosq; tuos peniculosq; tuos.
Credàmne hunc tibi se simul exhibuisse videndum?
Tantus inest sancta cum grauitate decor.
Christophorus Buywidowicz.

Casimiri ope funditur hostis.

Sanctum equitem celebrat tellus Hispana *IACOBVM*
Visum contra hostes ferre potenter opem.
Lipsana cuius habet Cracouia *FLOR* & *IANVS*
Terruit implacidos ense minace Scythas.
Proq; meis te, Clauigeri germane, Borussis
Narrat in hostiles Fama stetisse globos.
Dux Litauis, *CASIMIRE*, tuis, discrimine belli
Moschiaci bis eras auxiliatus eques.
Iamq; Sudermanni furiosa rebellio Carli
Sat, reor, experta est numen inesse tibi.
Cesset Amyclæos extollere Græcia Fratres.
Nunc ope cœlicolûm fas propiore frui.

Iacobus Woschouius Turonen:

Lis geminæ cōponitur vrbis.

Inter honoratam Craci Gediminis & vrbem,
Enthee lis oritur te, Casimire, super.
Te, quia vitales orientem vidit in auras,
Aucturum Dominos, vendicat illa sibi.
Te, quia sidereas abeuntem vidit in aulas,
Aucturum Diuos, vendicat ista sibi.
Quæ reliquis orbis præes vrbibus, inclyta Roma,
Sola hoc litigium composuisse potes.
En factum ac dictum, iam composuisse videtur,
Dum Vilnam labarum destinat illa sacrum.
Vilna tuus *CASIMIRVS* erit: tu verius illi
Es natale solum, nascitur vnde polo.

Simon Vgniewski.

Triumphat in æuum.

I triumphali, CASIMIRE, curru,
Hostium ternas acies repressi
Ditis & Mundi, cupidæq; carnis,
Inclyte victor.
Terna te virtus, rutilante trigâ,
Iure subuectat: ter iô Triumphe,
Alitum circa Superûm canente,
Agmine festo.
Castitas, cuius vehemens amator
Viuis, & pro qua moreris tuendâ
Te triumphantem meritò coronat
Fronde perenni.
Si potes, confer, vetus vrbs Quiritum,
Huic tuos Reges. Datus ijs triumphus
Perbreuis, cunctum CASIMIRUS en triumphat in æuum.

Petrus Minocki.

Laudabuntur in ciuitate opera iustorum, Eccles. 8.

Quid melos hymnisonum, quid iôq; triumphe per vrbem
Permistis lituis significare volunt?
Vrbs quid inardescens auri fulgore vel ostro,
Quid moles cœlo ducta quaterna notat?
Nempe Iagellonides Litauûm Dux atq; patronus,
Promeruit factis tanta trophæa suis,
Nam, velut oraclis Hagiographa præscia fantur,
Iustorum laudes vrbs super astra vehet.

Petrus Kuzmicz.

Adumbratio

ADVMBRATIO LABARI.

Hocne tot optatum linguisq; animisq; piorum
Est labarum? hæc icon, instar & indigitis?
O bellum Labarum! ter & ô venerabilis icon!
Vix melius posset pingere Parrhasius.
Quamlibet huic Zeusis palmam concesserit artis.
Quid mage bellum Helice Parrhasis hoc videat?
Hostili aurato Crux hoc argentea crispat:
Carbasino fluitans pendet imago sinu.
Ipse sinus rutilus virgato intermicat auro.
Et radians septem stemmata limbus habet.
Poma hinc quinq; rubent & Lilia terna Leonis,
Clementisq; cruces sideraq; inde nitent.
Papa Leo Decimus CASIMIRIACI author honoris,
Octauus Clemens auctor honoris erat.
Ora, Sigismundi, tenet ima, insignia Regis,
Lechiacamq; Aquilam, Litthalicumq; Equitem,
Suecanum diadema triplex Gothicumq; Leonem
Metantem trifidos per tria regna Lacus.
Merges at in medio Cereali munere turgens,
Rex insigne tenet regibus hoc ab auis.
Ad latus vmbonis duo stant regalis vtrumq;,
Stemmata: Bellipotens hinc Litauûm stat Eques.
Quodq; insigne gerit procerum grauis ordo sacrorum,
Binâ inter geminum crux diadema basi.
Inde Poloniaci Regni stat Gnesion albens,
Visa in Gnesnensi primitus ales humo.
Præsulis & Litaui Benedicti insignia woynæ,
Tergeminæ, Triados symbola fausta, tubæ.
In medio Tyria rutilat CASIMIRVS abolla
Et cidari, cinctu conueniente Duci.
Torquatos humeros coma prisco more flagellat.
Supra hominem roseo mirus in ore decor.
Flauescunt iuueni tenera languine malæ,
Quas decorat fuscus suaue rubensq; color,

Effigiem Christi patientis in arbore, dextrâ
Prætendit, læua lilia cana gerit,
Circulus angustum latè caput aureus ambit,
Sidereos proceres hæc nota nempe decet.
Aligeri iuuenes capiti gestamen adaptant,
Imminet huic flamen, bella columba, sacrum.
Flaminis instinctu quicquid sanctumq; piumq;
Egit homo interris, ornat in axe Deus,
Ornat & in terris, (probat vt CASIMIRVS) olympi
Et quibus hic maior Numinis ardor erat.
O felix Labarum ter ô exoptabilis icon!
Omine felici mœnia nostra subi.
Mœnia nostra subi pro te subitosq; labores,
Et populi & procerum sume, repende, proba.

Balthaser Solodzieiewicz.

In idem.

Palladium Troes iactent ancile Quirites,
Vt cœlo lapsum, spemq; in vtroq; locent.
Vana superstitio, pietasq; tributa Deastris,
Imbuit hac tressi credula corda fide.
Nos Casimiriacum Labarum diuinitus ad nos
Missum maiori iure probauerimus.
Roma Petri sedes, cœliq; vicaria Roma
Misit id, an missum cœlitus esse negem?
Ille neget qui nescit opem clementer ab illo,
Cuius in hoc labaro fulget imago, dari.

Hieronymus Bilductus.

In Labarotheten, R. D. G. S.

Swecici procerum pars ô memoranda sacrorum,
Qui Canones Vilnæ, qui sacra iura colunt.

Quantum

Quantum Vilna tibi, quantum Lithuania debet,
Pro qua longinquas isq; redisq; vias?
Tu bis anhelatas superas industrius Alpes,
Romula legatus mœnia tu bis adis.
Sacrorum à Domina semper meliora reportas,
In patrium reuenis vtiliorq; solum.
Quæ tua dexteritas ad agenda negotia, votis
Octauus Clemens annuit vsq; tuis.
Auspice te fruimur Benedicto Præsule Woyna,
Quo spes maioris vix erat vlla boni
Est Benedictus at ille Boni melioris origo,
Nobis Roma, simul te quod agente, dedit.
Indigetem illa dedit, quod & hic pietate meretur,
Templa per ac aras thure sacrisq; coli.
Autor erat Diui *CASIMIRI* Woyna colendi:
Huius & illius tu paranymphus eras.
Huius & illius dum nomen in orbe vigebit,
Nomen Swęcici sacra tablina canent.

Alexander Swiecicki.

De eodem maximis periculis ope D. Casimiri erepto.

Dum per præruptos vehitur Swęcicius alpes,
Aduectans Labarum, Dux *CASIMIRE*, tuum,
Tramite in angusto currus labat, alta vorago
Qua patet, ac præceps iam ruiturus erat,
Imploratus opem nisi, Diue patrone, tulisses
Mite viatoris os habitumq; gerens.
Quod nequeunt comites, sub imagine visus ephebi,
Suppositis humeris esseda lapsa leuas.
Dumq; leuas, alios quidam pius occupat horror
Expertos præsens numen adesse sibi,

Soluere dumq; parant grates preciumue labori,
Mortales visus sospes imago fugit,
Victorem labari releuans CASIMIRE labantem,
Gratum nonne doces esse quod egit opus?
Gregorius Saliceus Vngarus.

Testantia signa pudorem.

Transadigens vietum Lucretia cuspide pectus
Effundensq; animam hæc verba suprema dedit;
Vos eritis testes me haud arrisisse Tyranno,
O cruor ante virum, consilium ante Deos,
Attestans te voce pari, CASIMIRE, pudoris
Indepravati prorsus amore mori,
Sis mihi testis, ais, medicamina spreta Diones,
Tu cinis ante homines, spiritus ante Deum.
Christophorus Szukstà.

Frangi nescia ventis.

Flet simul Argestes, Zephyrus, flet Atabulus, Auster,
Iunge tuos flatus Africe, Core tuos.
Scilicet annosum vincetis robore quercum,
Scilicet arrectum deprimet illa caput.
Sic stetit aduersos CASIMIRVS fortis in hostes
Dum iungunt vires Pluto Venusq; suas.
Iosephus Gapsewicz.

Monstra placauit. Eccles: 25.

Dum resonas tetigit Chordas insignis Arion,
Artificiq; manu solliaitauit ebur.
Substitit ille Deus fortis qui regna secundæ
Torquet, ad auditos, obstupuitq; modos.
Passaq; Delphinis Vatem sunt terga nec vllo
Qui quenquam vexit tempore vexit eum.

Quid?

Quid? mare pacatum stetit, est fera bellua victa,
Vate lyræ suaues eliciente sonos.
Non potuit, *CASIMIRE*. tua integritate domari
Quicquid monstrorum styx, caro, mundus alit.
Albertus Podlecki.

Quasi sol refulgens.

Ecclesi: 50.

Hinc Iouis armiger, hinc feralis bubo serenum
Cynthius è medio spargit vtrisq; iubar.
Palladia at volucris, refugo se lumine torquet,
Regia auis Phœbum nescia noctis amat.
Vnice sol Litauûm ac Aquilæ *CASIMIRE* Polonæ,
Nonne velut Phœbus virginitate nites?
At ceruicosi Caluini lippa propago
Cæcutit, tua nec lumina ferre valet.
Obstrepit atq; suas latebras grunnitibus implet,
Dum sequitur *LABÆRVM* plebs tibi fida tuum.
Cocyti ergo petat, ceu bubo degener, vmbras,
Nostra, tuæ vitæ, lumina, lumen alat.
Ioannes Gultowski.

In medio non æstuat igne.

Flammiuomo viden' vt generetur in igne pyraustes?
Tutus in igne cibum carpat? in igne volet?
Cruscula non huic ignis edax, non vstulat alas
Estur at a pyrali quæ solet esse pyra.
Dire Cupido, tuus *CASIMIRO* nil nocet ignis.
Illius esse fibras dum cupis, ipse ederis.
Matthias Solodziewicz.

Rosa sentibus orta.

Inter opum spinas, irritamenta malorum,
Inter Hydaspæis lecta metalla vadis.
Aulai in medio, rosei sub luminis oras
Lumen honosq; poli, Dux *CASIMIRE*, venis.
Mirantur cuncti, cur non mirantur at vsquam
Gignere candidulas hirta vepreta rosas?

Ottho Podwinski Liuo.

Caput aspidum elidet.

Iob 20.

Eueni iuuenis Dictæo natus ad vndas
Pectora dum refouet fessa sopore leui
Sibila terrifici mittunt hydri atq; cubile
Insiliunt, puero quò fera fata ferant.
Excutit & membris somnos prenditq; cerastas,
Nec prius, ac animas euomuêre, sinit.
Exhausit Veneris vires & Dæmonis astus
CASMIRVS facinus dum furiale struunt,
Nec prius abstinuit pugnâ quàm uictor, *IESVM*
Pone triumphantem, signa locare quijt.

Ioannes Dicius.

In imaginem D. Casimiri.

Ambigis an geminam *CASIMIRVM* dicere vitam,
Quem vitâ functum picta tabella refert?
Falleris: ardenti Iesu flagrauit amore,
Intacti custos vsq; pudoris erat.
Hunc Deus in cœlis vita gaudere perenni
Iussit, & æternum nomen in orbe dedit.

Vna

Vna pro vitâ geminam CASIMIRE tulisti:
Quàm benè pro gemina desipit vna tibi!

Thomas Sebastiani.

Ænigma.

Emoritur nunquam vitæ breuis attamen illi
Tempora, non brutum, non Deus est nec homo
Corpore vestitur, velant quem corpora nulla,
Accumbit mensæ cûi dapis vsus abest.
Indulget somno, releuat qui membra sopore
Nullo. tristatur, cui mala nulla nocent.
Terrigenis gaudet conuiuere, quosq; polorum
Regia alit. Mantes, dicito, quis sit, eris.

Albertus Polaski.

Aliud.

In cœlis nascor, terrestres incolo sedes,
Nec syluas fugio, nec mare veliuolum.
Nec tamen aut Dea sum, nec homo, pennata nec ales,
Nec fera, nec piscis: sim licet his melior.
Si viuo, Assyrij per me superantur odores,
Si morior, nil me fœdius esse potest.
Alarum sine remigio conuexa pererro
Cœli, sed sceleris mole premente grauor
Integra si maneo viuens, sum nescia mortis,
Si viuens morior, me periisse scias.
Cum morior viuo, morior dum viuere conor,
Vnde aliis mors est hinc mihi vita datur.
Me CASIMIRVS amat, quando connubia spernit,
Et castus casto corpore celsa petit.

Matthias Mierzeiewski.

Os homini sublime dedit.

Erectos vultus pandamq́ue ad sydera frontem
Omine solus homo nobiliore tulit,
Vt sedem æternam propiori lumine figat,
Authorem sapiens plus propiusq́ue suum.
Sic omni indignans labi mundo arduus extas,
Sic putum inflammat te, CASIMIRE, decus:
Quod pietas magnos acuens sublimior ausus,
Relligioq́ue astris perpetuata dedit.
Relligio & pietas cœlesti ab origine natæ
Cœlica lumina: habes quo tueare polos.
Quid Pudor ille ferox? humanáne lumina temnis?
An cœlum Angelico cernere more iuuat?

Matthias Maricampus Danus.

Virtus inuicta Iosephi.

Victa Venus iuueni, Pharias qui rexit habenas,
Bella mouet Litauo propudiosa Duci.
Isacides quianam fugiendo vicit, in istum
Immedicabilibus sæuit acerba modis.
Sola Venus potis est, ait Ars consulta medentum,
Hisce Iagellonidæ consuluisse malis.
Ille sub hæc; mihi mors potior. Pudor istud abhorret,
Clinice, curandi tam furiale genus.
Victa, triumphe io, cœligenæ Cytherea Pudori,
Teq́ue triumphatam diceret ipse Paris.

Nicolaus Benedicti.

Incorruptio proximum facit Deo, Sapien. 4.

Me Rex Diuorum Regali sorte beauit.
Rex pater, orta parens Cæsare nostra fuit.
Fama celebrauit clarum super æthera nomen
Nomine *CASMIRI* plenus & orbis erat.
Ampla fuit mihi gaza, fuit preciosa supellex.
Splenduit & cultu regia tota nouo.
Meq; satellitium stipauit, & aulicus ordo
Gressum in purpureis vestibus antè tulit.
At me nil horum super æthera vexit amatum,
Nil horum potuit me sociare DEO.
Nescia mens labis, castæ incorruptio carnis,
Numine me faciunt proximiore frui.

Andreas Szumlenski.

EMBLEMA.

Malo mori quam fœdari.

Armelinus luteo aggere circumdatus.

Bellula bestiola est quæ dicitur Armenius mus
Armeuelinus & hanc Pontica terra parit.
Ponticus hinc & mus audit, candore niuali
Præstat, & in precio est omnibus alba cutis.
Ergo venator precioso vellere captus
Sepibus hinc luteis vallat & inde feram.
Illa fame dulcem mauult abrumpere vitam,
Siue capi ac niueos collutulare pilos.
Tu quoq; virginei flos intemerate pudoris,
Pectore candidulo, Dux *CASIMIRE*, nites.
Te simul excruciat genus immedicabile morbi,
Ilis & obstructu continuante premit.
Clinicus illicitâ simul hanc abolere Genethle
Te, cùm nulla super sit medicina, monet.

Clinice, *MALO MORI QVAM FÆDARI*, inquis, abisq;
I licet; Agnisequis iunctus in astra choris.
Corpore quò valeas animam scelerare scelestum est:
Nam pars hæc precium corpore maius habet.

Ioannes Wolski.

Anxia virginitas.

Dum *CASIMIRE* graui tentigine carperis, ægrum
Anxia virginitas te miserata dolet:
Clamat, & ô nimium ferales parcite flammæ:
Candidula hæc nostro pectora digna rogo.

Christophorus Bobola.

Imitamen honestum.

Caste pòëta, piis Michael, Verine, Camœnis
Hispanam decorat, vnde oriundus, humum.
Morte magis decoras, quam tu florentibus annis,
Sponte, pudoris amans, oppetis ante diem.
Dum valet vna Venus lento succurrere morbo,
Tu mauis, ne te polluat illa, mori.
Nempe ducem facti *CASIMIRVM* es adeptus honesti,
Qui castus parili morte poeta cadit.
Inclyta se sancto Lithuania iactet alumno,
Exemplum vates vnde vel, ambit Iber.

Adamus Sulaticki.

CASIMIRVS.

ANAGRAMMA.

SVM AC IRIS.

Iris amœnifico decorat curuamine cœlum,
Et recreat cinctu multicolore solum.

Hos

Hos trahit aspecto varios à sole colores,
In nubem radios eiaculante suos.
Diue Iagellonide, tu mille coloribus astra
Virtutum insignis Arcticon hanc & humum.
Ille perennis atus nimirum Iustitiæ Sol
Irradiare animum cœpit in orbe tuum.
Nunc magis irradiat, cœlum in sublime receptum,
Vnde dat Arctois te radiare plagis.
Nos radias meritis, pietate, iuuamine: Dic *SVM*
AC IRIS, miris irradiata modis.

Andreas Vilowski.

ALIVD.

Iris vt indubium fuit illuuionis abactæ,
Atq; serenati Numinis indicium.
Sic, *CASIMIRE*, daris Litauæ diuinitus oræ,
Signum placati post flagra tanta Dei.
Vndiq; inundabat bellumq; famesq; luesq;
Hoc lustro gentes depopulata tuas.
In labaro tua, Roma sacro sed vt extulit ora,
Ac te cœlesti sanxit honore coli.
Pestis & ira Dei redit, vnde profecta, sub orcum:
Diuûm ope tot plagis hæc releuata plaga est.
Huius opis signum ac opifer, *CASIMIRE*, refer; *SVM*
AC IRIS, Diris, qua pote, figo modum.

Idem.

D. CASIMIRVS.

ANAGRAMMA.

CADIS MIRVS.

Sternere te certat violente Proserpina morbo,
Putida si Veneris pharmaca respueris.

Respuis hæc omni velut orcia pocla renutu,
Stratus & à morbo discruciante cadis.
Sponte cadis, sed amore cadis, *CASIMIRE*, pudoris,
MIRVS, te Christo mirificante, *CADIS*.

Simon Krzyczowski.

Sanctus Casimirus Dux Lithuaniæ.

ANAGRAMMA.

Aurea lux sicut sidus micat annis.

Aurea lux sicut sidus micat altior annis.
Et vincit solitas, sole fauente, faces.
Æternum nunquid variant subitæ æthera leges?
An noua mutato iura statuta polo?
Hactenus ignipedum radians frænator equorum
Occuluit flammis astra minora suis,
Nec prius vmbrosis vibrant sua lumina terris,
Quàm suetas intret Phœbus anhelus aquas.
At Casimiriades Litauis lux aurea mundi,
Nunc maior pariter Sole micante micat.
Anne retorsit equos, vt vidit frangere, Titan
Virtutum radijs te, *CASIMIRE*, polos?
Fallor ne? an gemino, qui sol micat altior orbis,
Christus id à sese iussit habere decus?
Ergo micat plusquam sidus, lux aurea, Diuus,
Et gemino fulget, sole iubente, solo.

Gregorius Niurhenus Suecanus.

Beatus Casimirus Casimirides Dux Lithuaniæ.

ANAGRAMMA.

Venit decus ab axe missum litauis dicari aris.

Io triumphis Vilna Sacratior
Applaude, Diuûm limina nubibus
Vittata præsudent Sabæis.
Iam Cilicum seges & viretis
Orbata, valuas germina purpuret,
Mistâq; Eöös fana litent prece,
Sacrumq; postibus decorem
Adiiciant viduata Tempe.
Pulsentq; lætis æthera plausibus
Colles propinqui, turbaq; Dalmatis
Pudicior spectanda linis
Nûnc solito patriæ ampliori,
Colenda cœlo, pande sacraria,
Votiuaq; orbi gaudia, chromate
Monstra colorato explicata,
Et labaro mela ducta multo
Fanis triumphos prodiderint: Iô
Venit dicari aris Litauis, decus
Ab axe missum, maxima vrbi
Villiadum properata virtus.
Næ sumptuosa Diuipotens tuas
Fers laude moles Tybri, micantius
Maiore Diuorum corona
Quod reliquo caput orbe tollas.

Totoq; ductos æthere septuplis
Cætus clientium collibus ambias,
Murisq; Pandion coarctes,
Fanaq; præside propriori.
Possessa lunato recrees gradu.
Næ sumptuosa laude micantior
Orbem superstas; namq; tanto
Tu, Casimiriade, bis auctor,
Tibi ampliatus secula conficis,
Quin ô Triumpho, Vilna sacratior
Nouo tui clarata Diui,
Sic, patrium venerata Numen
Prior secundo vota dabis: veni,
Veni decus, Dux pristine, Litauis
Ab axe missum aris dicari,
Nec Lechicus socium inuidebit
His sumere auctus Præsul honoribus,
Sed ipse cedens parte loci, lubens
Habere donat, atq; iuncto
Numine supplicibus fauere.
Salue bis orbis gloria patrij,
Salue alma Regum stirps, triplici decus
Fulgens solo, solenniori
Thure coli Litauis dicatum:
Salue impetrati lux sacra syderis.
O quanta cultu hanc sæcula perpete
Certantia æternare cernes,
Perpetuis reuocando fastis!
Sed nunc, regendo præses amabilis
Quondam, precando Numen amicius
Nascentibus veni secundans
O genium *CASIMIRE* templis.

Gregorius Laurentius Gothus.

S. Casimirus Iagellonides Regis Casimiri filius, Poloniæ & Lituaniæ Princeps ac patron⁹

ANAGRAMMA.

Emicat in cœlis stirpis pia gloria, Regni ô lumen patrij, pansis en lucidus aris Eous facie Sol.

Et potuit tantas *CASIMIRVS* poscere laudes
Amplior, aut plures Naturam orare triumphos?
Emicat in cœlis stirpis pia gloria, Regni
O lumen patrij, pansis en lucidus aris
Eous facie Sol: quem celeberrima quondam
Gloria virginei latè clarauit honoris,
Inseruitq; astris insueti palma pudoris:
Ausoniusq; Pater Diuûm fulgescere cultu
Iussit, & æternos templorum habitare paratus.
Lumine ter felix isto pia Sarmatis ora,
Quæ tanto Eoum splendescis sole per orbem
Quaq; alter tardas descendens lucidat oras,
Expandis facies Diuo radiata potenti,
Assequerisq; tuum partito lumine Solem.

Idem.

Sanctus Casimirus Confessor.

ANAGRAMMA.

Sanctificans cursus es ô mors.

Vita quid est hominis rapidæ nisi fluxus æquai?
Quid nisi palmifero cursus in Hippodromo?
Curritur hac vita, metam properatur ad vnam.
Non cuiuis palmas meta sed ista parit.
Mors homini meta est, decursi & terminus æui.
Curriculi finis, mors vbi pulsat, erit.
Sanctificat cursum vitæ sine lapsibus actæ,
Ac decorat palmis mors preciosa Deo.
SANCTIFICANS CVRSVS mihi, ait Casimirus, ES Ô MORS.
Dicere vis an idem, sis anagnosta pius.

Stephanus Laskowski.

Diuus Casimirus Confessor.

ANAGRAMMA.

O S. sidus confer visum caris.

Heu quota pars Litauûm diuino lumine fertur,
Nec nocte furua criminum semisepulta iacet?
His scelerum nox, his inscitia lumen ademit.
Occæcat illos hæresis filia tetra stygis.
In styga præcipites properant, velut agmine facto,
Verum perosi, tramitis sydereiue rudes.
Aspicis hos pateris(que) nouum iubar addite diuis?
Pollux pius nec castor es, Dux CASIMIRE, tuis?
Dux quibus hic fueras lux sis & in æthere. CARIS
VISVM benigne CONFER O SIDVS in axe Sacrum.

Thomas Bobrowski.

Vilna.

Vilna. *ANAGRAMMA.* I Luna.

Dum redit Hesperijs collustrans lampade terras
 Vilna tuas Phœbus, cur, remorare sequi?
Iustitiæ columen, speculum castiq; pudoris
 A cuius summum lumine lumen habes
Languet in amplexus (inquis) Latonia fratris,
 Quando ruit saltem figito pone pedem.
Solem, I *LVNA*, sequare: vide quæ semita vitæ?
 Te in nebula errorum sat latuisse fuit.

Gasspar Masskowski.

Meritis tribuantur honores.

Victor olympiaci certaminis Astylo quondam
 Et statuam Autolicus Pancratiasta tulit.
Vicit Auernales cuneos, se vicit & ipsum,
 Nulla Iagellonides Dux monumenta feret?
Mausoleon habet miris illustre patratis,
 Diuini cultus Symbola Diuus habet.
Nil vt huic Sancto victori desit honoris,
 Delubrum medio surgat & ara foro.

Ioannes Kobylski.

Sacra Taberna.

Mercatu strepere omne forum Vilnense, nec ædes
 Vulgus adire sacras Diuus ab axe videns,
Ponè forum ponatur, ait, de nomine nostro,
 Quæ stet at æterno sacra Taberna Patri.
Gratis in hac cœli bona promercalia prostent,
 Hac emat æternas plebs mea gratis opes.
Et meus hîc discat populus commercia Diuûm,
 Discat inocciduis hîc inhiare bonis.

Matthæus Rabinowski.

Certum

Certum Asylum.

Mopsopiæ quondam medio stetit vrbis asylum;
Qui locus infesto tutus ab hoste fuit.
Cecropidas & in hoc vrbs est imitata Quiritum.
Vilna foro medio tu vin: Asylon idem?
Quàm consulta pium quàm tempestiua laborem
Suscipis! Hinc Mauors te petet, inde lues?
Maturetur opus; tibi Diuus asylian omnem
Inde Iagellonides spondet opemq; piam.

Petrus Krasinski.

Operæ precium.

VIlna tuo indigeti templum moliris? at illi
Vt primum est, opus est hoc bene fiat opus.
Artifices adhibeto manus, quæ schemate bello,
Hoc & honorifica condere mole queant.
Quales condiderant Solomonia templa, vel Arcam
Fœderis: Huc Beseleel, huc Olyabe veni.

Ioannes Narburt.

Grata perpetuitas.

Nuper vbi Diuus *CASIMIRVS* ab æthere pompam
Hac sibi honorificam vidit in vrbe geri:
Per mihi gratus, ait, tuus, ô mea Vilna, triumphus;
Gratior est templi cura laborq; noui,
Scilicet haud multas durauit ouatus in horas,
At sacer in templo perpetuatur honos.

Stanislaus Krolik.

Tutum patrocinium.

Clericus ordo Ducis de nomine dictus *IESV*
Dum templum statui vult, *CASIMIRE*, tibi:

Gratus,

Gratus honos, ais, hic, consors sit at huius honoris
Quam colui in terris Virgo parensq; Dei.
Assensere Patres gauisi vtroq; Patrono,
Hac Dominâq; poli, te Litauûmq; Duce.
Castus vtriq; pudor Sanctæ & reuerentia famæ,
Castæ Ascetarum tutor vterq; domus.

Ioannes Petreuius.

Virtutibus aræ.

Virtuti, Fidei, Pietati, fana Quirites
Sacrauere suâ cultibus vrbe piis.
His tribus an cupitis Vilnates condere templa?
Sufficit his vnum constituisse tribus.
Vnum condatur CASIMIRI nomine dictum:
Hunc virtus, Pietas, hunc habet alma fides.

Valentinus Narunski.

Templi custodibus adsis.

Diue, aris temploq; tuo quæ rite ministret,
Ad cultum cieat quæ populosq; tui,
En SOCIATA cohors in nomine dulcis IESV
Sese offert: huic ô, Dux CASIMIRE, faue.
Vsq; professus eras summè & veneratus IESVM:
Te Duce sit IESVM tuta PROFESSA DOMVS.

Nicolaus Sawicki.

Ecce lapis quem dedi coram IESV. Zachar. 3.

Dum CASIMIRIACÆ fundamen inaugurat ædis,
Et primum lapidem rite Hierarcha locat.
Vilnatum pietas, SOCIIS, hanc, dulce PROFESSIS
Soteris IESV nomen, habere dabat.

O pia Vilna, quibus meritis pia facta repenset
  IESVM sponte sequens hic tibi cætus inops!
En tibi se totum impendit facilisq; volensq;,
  Se populisq; tuis præbet in astra ducem.
Iam tibi Pontificiq; tuo, quem patris adinstar
  Iure colit, celebrat, deueneratur, amat.
Nunc tot hic eximias pergrato pectore grates,
  Villia quot latices voluit in æquor, agit.
Quæcunq; huic DOMVI IESVM, pia Vilna, PROFESSÆ
  Præstiteris, IESV præstita rere tuo.
Dum lapis hic abs te vectus modo rite locatur,
  Fundamen templo, verba fac ista Deo;
ECCE LAPIS QVEM sponte DEDI tibi CORAM IESV,
  Indigetiq; meo, Iesuidûmq; choro.
Hinc tibi surgat honos, CASIMIRO gloria, sedes
  Tuta tuis famulis, hinc mihi certa salus.

Paulus Radziminowicz.

Lapis iste vocabitur domus Dei.

O lapis fœlix basin excitandæ
Quem suæ legit CASIMIRVS ædi!
Terra ter fœlix vbi tu iacebas!
Ter magis fœlix vbi iam iacebis!
Hac Sion, illâ minor est Syone;
Hæc licet marmor, ferat illa fanum,
Sanctus hic verè locus est vocandus,
Sorte non tanta fruiturus, aureæ
Si domûs esses quota pars Neronis,
Tu domus summi Domini Deorum
Audies, felix lapis angularis
Iure maiori lapis atq; magno
Abs Iacobo situs, & Sabæo
  Tinctus oliuo.

Ioannes Tynicki.

LAPIS LOQVITVR.

Primas in amore feremus.

Me nuper labaro cernens CASIMIRVS ab alto,
Hæc ait arridens; ô bene facte lapis!
Mox benediceris BENEDICTO à Præsule WOYNA:
Fundamen templo mox iaciere meo.
Hicne meo primum stabit de nomine templum?
Iure opifer primas huic in amore dabo.

Adamus Rucki.

Ad manes nuncius ibo.

Saxo visa fuit Casimirica pompa per vrbem,
Atq; triumphalis ritè peractus honos;
Iam scit Olympus, ait, scit humus quo ferris amore
In Tutelarem, Vilna, Ducemq́; tuum.
Templum etiam statuis: telluris operta subibo,
Ipsi etiam manes tam pia facta sciant.

Ioannes Wersocki.

Felix sorte mea.

Farra molant alij lapides faciantq; farinam,
Sustineant alij tecta laresq́; Ducum.
Dux sacer ô CASIMIRE, tuum si fulcio templum,
Felices humeros dixero iure meos.
Siderei sacra tecta Ducis, sacra farra dapesq́;
Sufferre Angelicas, nobile rebor opus.

Albertus Podleski.

Maior Atlante lapis.

Prisca supersedeat celebrare Poësis Atlantem;
Is quasi culminibus mons ferat astra suis.

Me fore cœliferum potius canitote poëtæ;
His ego cœlum humeris, sors ô amæna, feram.
Dux CASIMIRE, tuum templum, ceu sessile cœlum,
Incolet ipse Deus: maior Atlas an ego?
Thomas Koczißewski.

Testis elinguis loquar.

Æternum pia turba vale, sol, aura valete:
Tardus ad obscurum vado cubile, redux,
Scilicet extremo tellus dum quassa tumultu
Restituet cæco quæ gerit ossa sinu.
Tunc me Vilna suæ testem pietatis habebit,
Et sciet elinguis quid lapis iste sciat.
Thomas Albertini.

Me tibi subdo libens.

Terrai centrum quiduis graue fertur ad imum,
Fortè quis oppositus ni remoretur obex.
Deorsum vergenti facilis mihi terra dehiscit,
Sim basis vt templo, Dux CASIMIRE, tuo.
Indiges ô patriæ, tibi me tam subdo libenter,
Vt nolim ad centrum pergere porrò meum.
Ioannes Pultorak.

Non me labor iste grauabit.

Cuncta creatori sub sub sole creata ministrant.
Hac egisse tenus nil ego visus eram.
Nunc ago res, patiorue magis, Casimirica templa
Sustentans humeris. Dulce ministerium!
Non grauis iste labor, graue non onus esse videtur,
Quod mihi, magne Sator, quod, CASIMIRE, iubes.
Christophorus Krzyczewski.

Silebat

Sileat miracula Memphis.

Saxa Semiramicis memorentur ouantia muris;
Queis Triuiæ fanum, queis stetit alta Pharos,
Queis & pyramides & condita mausolea.
Pluris erit templum. Dux CASIMIRE, tuum.
Huic malo subici. Styga manibus illa replerunt:
Hoc homines summo mittet in astra die.

Ioannes Iszykowski.

Grata obsequia Diuis.

Plura vbi Vilnensis pia plebs immania saxa
Pertrahit in templum, Diue Patrone, tuum,
Lætus ab axe videns ais; vt contingere funem
Vilnates gaudent! vt mihi feruet opus!
Stabit apud memorem me gratia plena laboris:
Faxo pluat Litauis plenus ab axe fauor.
Promissoq; manes; segetem ver spondet amænum,
Iamq; Palatinum fert pia Vilna pium.

Gabriel Pupkowicz.

Quo non liuor adit?

Dum templo, CASIMIRE, tuo fundamen ad ima
Cum sonitu iacitur, Dite fremente, Lapis,
Liuor obirato, nutu Plutonis, ab orco
Prosilit vt multis felle cor inficiat.
Mox petit Errones Danaos, tumidosq; Ministros
Leucori nigra tuos, blenna Gebenna tuos.
Ilicet hi CASMIRIACIS signata triumphis
Obliquùm intuiti tot monumenta, gemunt.
Liuido & ore fremunt, rabida & conuitia torquent
In Diuum indigetem. Quid CASIMIRVS ad hæc?

Perpetitur miseros, miseratur & icta veneno
Pectora tartareo: lenit & ore Patrem,
Cœlicolûm Patrem meritissima flagra vibrantem
In Diuûm osores, hæreticos in apros.
Excutite inuidiam miseri, & non temnite Diuos,
Ne vobis Diuûm det Pater acre malum.

Simon Tupalski.

S. CASIMIRVS.

AD SERENISS: SIGISMVNDVM III. Poloniæ Sueoniæq; Regem,

Mirata est Craci vrbs, Rex maxime, & omnis olympus
Cùm Diuo strueres inclyta templa Petro.
Limite sed non hoc pietas tua constitit ardens,
Digne Iagellonio sanguine, digne meo.
Nam quoq; templa mihi Vilnæ dum sacra locantur,
Percipiunt dextræ munera larga tuæ.
Fœlix sceptra regas, ferus sed templa subito,
Templa polo meritis ritè parata tuis.

IDEM,

AD ILLVSTR: ANTISTITEM VILN: BENEDICTVM WOYNAM.

Nobile, opum largos Superorum quærere sedes,
Ast ad opes operas iungere, nobilius.
Hoc tu consocias venerande Antistes vtrumq;
Nam mihi sacra opibus templa operisq; paras.
Ergo mihi vt templum fundas, vt fundis opum vim,
Omnes cœlicolas in tua vota trahis.
Has & opes operasq; tuas Deus ipse refundet,
Dans loca Pontifices inter in axe sacros.

IDEM.

IDEM.

AD ILLVSTR. ET MAGNIF. D. LEonem Sapieham, Cancell. M.D.L. &c.

Terra polusq; sciunt tua munificentia quæ sit,
  Lithala gemma, *LEO SAPIEHA* dúmq; decus.
Te Diuûm celebrant ædes, te sacra supellex,
  Hospita tecta inopum te sacra claustra canunt,
En & ego amplificæ capio tua præmia dextræ,
  Gente pia Litauûm templa dicante mihi.
Quàm bene fluxa bona expendis! mansura sed olim
  Nacturus Proceres inter olympiacos.

IDEM EIDEM.

Papa Leo Decimus me Diuorum inserit albo,
  Rege *SIGISMVNDO* fratre rogante meo.
Clemens octauus probat hunc & adauget honorem,
  Huc Labarum mittens effigiémq; meam;
Hoc pronepote, Polonorum Sueonúmq; Gothûmq;
  Rege *SIGISMVNDO*, sollicitante meo.
Regis obis, *LEO* magne, vices *SWENCICIVS* eius
  Nomine dat labarum, datq; diploma tibi.
Omen inest facto: Bene quod *LEO* maximus orsus,
  Magne *LEO*, pietas hoc tua finit opus.

Ioannes Kraykowski.

ΕΞΟΧΟΣ ΑΛΛΩΝ.

Παντοίαις ἀρεταῖς κασίγνειτε κεκασμένε μέγ᾽ ἄναξ,
  τοῦτο δ᾽ ἴκην ἔλαχες, δῖε θεόπτα, γέρας.
οὐ βασιλεὺς μὲν ἔης, οὐ χρυσέας κῆπτρα κόμιζες.
  ἀλλ᾽ σαυτοῦ βασιλεὺς αὐτὰρ ἄριστος ἔης,
Σκηπτοῦχων ὃ γέρας πρὶν ὁμαίμων ἔλλαχεν οὐδείς,
  βασσιλικὴν κατέχεις νῦν βασιλῆος ἠός.

Idem.

S. CASIMIRVS.

ANAGRAMMA.

SIS CVM ARIS.

Diue Iagellonide Patriæ Pater atq; Patrone,
Sit placitus merito qui tibi surgit honos.
Rex pronepos tuus, & proceres Vilnæq; Quirites
Ædem nempe tuo nomine, ponè forum,
Quinq; super nonaginta quæ longa sit vlnas,
Sit quadraginta lata duasq; struunt.
Te decet hic diuinus honos, diuina tot à quo
Et merita in Litauos & benefacta fluunt.
Huic ædi, his aris, *IESVM DOMVIq; PROFESSÆ*,
Ædis & ararum cui data cura, faue.
Nominis idq; tui poscit variatio, *SIS CVM*
ARIS, ac adytis quæ tibi Vilna sacrat.

Ioannes Nicolai Dizor.

Lapidis humandi suprema voluntas.

Lustratus lapis ille scrobem subiturus hiantem,
Nunc, ait, ad fundum lautus & vnctus eo,
O pia Vilna, pio tibi sint cum Præsule grates,
Cum grege saluifici nomen habente Dei.
A quibus huc vectus sum tantoq; auctus honore,
Vt basis indigetis prima sub æde locer.
Vnum oro; siquidem inferias mihi ferre Poetæ
Versibus & sertis hic voluêre suis,
Ne raptata volent subitis ludibria ventis,
Vt mihi sunt subitis hæc properata moris,
Me nec vt vlla dies vnquam memori eximat æuo,
Ætatem versus arte typoq; ferant.

Liuor at hæc blatiet leuia esse nec æthere digna;
Digna pari mecum quæ tumulentur humo.
Liuori bone Lector ai. Lapidi esse sat apta;
Vt rudis ipse Lapis sic rude carmen amat.
Erasmus Brunus Suecus, S. R. alumnus.

ARÆ CASIMIRIANÆ.

D. CASIMIRO.

Dum tibi, Diue, aras lento molimine condit,
Mecœnasq; meus Rex proneposq; tuus,
Antè ego Brunoridos, modò Vilnidos incola Cirrhæ,
Me propius tumulo lætus abesse tuo,
Marmore de Clario subitas tibi molior aras:
Quod negat alba Paros sufficit alma Claros.
ERICVS AXENBERGIVS Sueo
Smr. R. Alumnus.

ARA I.
POLLENTI POTENTI TVTELARI LITVANIÆ.

Thure centeno grauis ara, centum
Vrbibus Cretæ patrio litabat
Numini falsâ male tuta tumbâ.
Quæ patronalis monumenta curæ
Non meret nostro *CASIMIRVS* orbe:
Ille quem magno Superûm paratu
Verus Astrææ labor, æuiternum
Verius cœli decus esse iussit,
Glória Arctoi *CASIMIRVS* orbis?
Crescite ô cursu noua lustra fausto:
Templa spem Diui properate seclis:

Vnde votiuis venerandus aris
Laudet optatos Litauûm labores,
Et suum æterno foueat fauore
Diuus honorem.

ARA II.

INVICTO VICTORI HOSTILIVM EXERCITVVM.

Ingens Vilniaco foro trophæum
Cladis Moschiacæ dicare Diuo
Certat Sarmatici beata Regis
Cura & munificus labor Potentum,
Dum pollens studio beatiore
Romę deprimit ausa, quæ supremo
Lædæis statuit foro strategis,
Hostilis monumenta, templa, stragis.
Iam Vilnense forum suus propinquo
Firmabit Casimirides fauore,
Pressans hostica signa, perfidosq;
Currus sanguine luridos suorum,
Romphæasq; aciem litas cruore.
Inuicti omne ducis triumpho adauctum,
Ornatosq; sibi tholos superstans
Dux belli Cataphractus omne in hostes
Malum retundet.

ARA III

SOSPITATORI PATRIÆ.

Quantus magno vindici honores
Detulit orbis numeroso olim

Monstrorum terrore solutus.
Tanta ô meritò procide Diuo
Villia, Litaui princeps orbis
Talis meritò procide Diuo.
Cuius meritis olim stygijs
Libera monstris, schismate Graium,
Vultu decorata nouo legum,
Auro stabas fulgida seclo,
Et nunc bellis personat omnis
Miserè tellus agitata; tibi
Placidæ florent otia pacis;
Lætior ætas arua serenat,
Lætoq; iterum fulgida seclo
Induis aurum.

ARA IV.

PATRATORI MIRANDORVM OPERVM.

Nunquam hic coronis par satis
Natura gemmascit, tuis,
CASIMIRE Diue, laudibus
Minor: tuum plus laurea
Potente cultus, germine
Sertum propinquo glorians:
Ilexq; sospitis decus
Ciuis leuisq; symbolum
Audaciæ omne præmium
Graio expetitum puluere
Vinci stupet: quas ô tibi
Dux CASIMIRE sanitas
Stupente membro pristino,
Functoq; vita corpori

Reducta laureas dabunt:
Coniurat æther & solum,
Cœlestium, plebes tibi
Litant honores.

ARA V.

CONSERVATORI CVSTODIQVE VRBIS.

Statorem Latij perpetuum imperi',
Et ficta Ausoniæ numina Principis
Mutasti patrio illia numine,
Et Iagelloniæ grande iubar domûs
Cuius vera foues ossa, decus tuum,
Æternum æthra tibi præsidium dedit.
Et iam fausta probas: triste furentium
Plagarum rabiem stare coegit &
Pestem, bella, famem, præteritæ mala
Cladis damna, tuis mœnibus arcuit,
Atque annus melior risit & ætheris
Iam tandem facies luxit amicior.

ARA VI.

TRIVMPHATORI DIONES.

Hic hic olentes sparge puer rosas,
Hæc cinge verno marmora lilio.
Hic thus odoratæque messes
Quas Cilices Arabesque verrunt,

Et quidquid halat suauiter vspiam
Vdum pererrent molliter aera:
Victor Dionææ Phalangis
Hac colitur CASIMIRVS ara.
Huc & beati cœlituum chori
Ab vsq; Olympi tendite vertice,
Vobisq; cognatos honores
Mellifluo celebrate cantu,
Quali micantis Templa sonant poli
Pæana Diuis cùm reliquis canit
Et iubila impermissa vulgo
Grex niueum comitatus Agnum.
Nam quis Trophæis nobilioribus
Extructus olim visus erat tholus?
Quis in triumpho tam insolentes
In Capitolia traxit hostes?
Hic illa vinclis quæ domuit suis
Inuicta bellis pectora Cæsarum
Regumq; turmas & Deorum
Hausit Acidaliâ Charybdi,
Incesta duro colla Venus iugo,
Subacta mœret, telaq; flammea
Retusa, lasciuamq; spectat
In pedicis gemebunda stirpem.
Quam ponè plebes nequitiæ sagax,
Rarò antè frenos passa Licentia

Et docta Sirenum Thalia
Illecebris properare luctus:
Et Philtra & artes cernere Thessalas,
Marsoq; mistas carmine Nænias,
Quas inter applorat Lyæus
Nyctileo lacrymosus imbre.
Quidquid pudori virgineo nocet;
Quidquid iuuentæ pectora candidæ
Vel decolorat, vel venenat,
Victor agit domitum catenis.
Hunc pura cœli pars cane ciuium:
Hunc castitatis gloria virgines,
Eburneo sacrate plectro,
Hunc pueri melioris æui.
Hæc fama terras permeet vltimas,
Qua vel supinos alipedes citat,
Vel qua calentem Phœbus axem
Hesperij lauit amnis vnda.
Vicit Dionen vicit & igneis
Armata princeps agmina spiculis:
Insertus & Diuûm cateruis
Perpetuos agitat triumphos.
Tuq; Ara tantæ conscia gloriæ
Dum stabis, olim præcipe, posteri
Discant ab exemplo pudorem,
Atq; inhient paribus Triumphis.

ERICVS AXENBERGIVS Suec.

GENEALOGIA S. CASIMIRI.

Collecta à R. D. Gregorio Swięcicio, Canonico Vilnensi.

Ingressus ad eandem.

QVamuis de Italorum in has Lithuaniæ oras, ex Italia profectione, videlicet Publij Palæmonis, Libonis & Prosperi Cæsarini, ex Ill. Columnarum familia, cum vxoribus, liberis, cognatis, affinibus, ac cæteris amicitiæ societatisq; fœdere sibi iunctis, quibus se alij tres, itidem ex clarissimis familijs, vt pote Iulianus Dorsprongus stemmatis Centaurini, Vrsinus & Hector stemmatis Rosæ, cum suis quoq; domesticis, coniugibus, filijs, & aliorum multis Nobilium centenis (qui Romani potissimùm fuêre) adiunxerunt, omnes ferè Polonicarum Lithuanicarumq; rerum, historiographi conueniãt: plurimùm tamẽ inter se dissident de occasione & tempore illorum migrationis inde, & aduentus in has nostræ patriæ partes. Quidam enim volunt id fuisse factum Põpeij tempore: post quem à Cæsare deuictum, inter alios, Pub. Libo & Palæmon (quos Pompeianorum militum fuisse Duces, ex Liuio & Floro lib. 4. cap. 12 patet) sæuitiam Cæsaris metuẽtes, sedes patrias reliquerunt, & securiorem habitationis locum quæsierunt, peragratisq; multis prouincijs, & longa nauigatione superata, ex sinu maris Baltici, Prussiam, Samogitiam, Liuoniãq; alluentis, per Nemnam fluuium (Crononem Ptolomæo dictum, ad loca peramæna planiciebus, collibus, pratis & syluis appulerunt, & primas sedes suas iuxta Dubissam amnem fixerunt, extructo inibi Oppido, quod à primis conditoribus, Romæ nouæ, nomen accepit, à Cromero loco citato Romoue dicitur, nunc vulgò Romanowo nuncupatur. Iidem postea vicinis quibusq; Gentibus armis iuri suo subiectis, ditionũ suarũ terminos magis ac magis protendentes, reliquas quoq; Lithuaniæ partes occupauêre. Aliorũ verò opinio est,

De quo lege Alexãdrum Guagninũ Veronẽ. in lib. qui Corpus historiæ polonicæ inscribitur. Cromerũ lib. 3. h. ſt Miechouium lib. 4. cap. 39. Iodocũ Ludouicũ Deciũ libro 2. de Iagellonũ familia. Strykouium lib. 2. cap 5.

prædi-

prædictos Italos Neronis tyrannide, vel potius Attilæ Hunnorum Regis crudelitatem fugientes (à quo diram suæ patriæ vastationem metuebant) peregrinationem hanc instituisse. Verùm quicquid sit de tempore & causis, quibus præfati Heroës adducti sunt, vt relicta Italia, in has Septemtrionales plagas secederent, illud apud omnes in confesso esse debet, nequaquam à profugis, aut in exilium actis hominibus (quod imperitè quidam asserũt) Gentem Lithuanam originem suam duxisse, sed, vulgus quidem (vt pote Colonos & agrestes) ex Gothis natos, Nobilium autem familijs (id quod non minùs verè, quàm scitè Guagninus Veronen., Cromerus, Miechouius, Dlugossus, Bielscius, Strykouius locis citatis affirmant) præcipuos Italos, Vrsinos, Columnas, Cæsarinos, Gastaldos principia dedisse. Ipsa quoq; Lithuania, à primo eius duce Palæmone L' Italia id est La Italia (præposito, vt Guagninus inquit articulo, Italis in fæminini generis nominibus efferendis consueto) appellata est; successu verò temporis (teste Matthia Miechouio l.b. 2. hist. cap. 2. & l.b. 4. cap. 39.) per elisionẽ literæ, Litalia, à Rutenis demum & Polonis, maiori immutatione nominis facta, Lithuania dici cepit. Cur autem Lithuani, vt ab Italis originem suam acceperũt, ita idioma Italicum nõ sumpserint, rationem apud eundem Guagninum Lector habes. Eam enim esse dicit, quòd Principes Itali, eorum incolarum, apud quos principatum obtinebant, linguam addiscentes, in suam coöptarũt. Sed de his hactenus. sequitur.

GENEALOGIA.

Prosper Cæsarinus Columna Princeps Romanus (vt dictum est) alijs eius socijs, videlicet Palæmone, Dorsprongo, Vrsino, Hectore &c. quorum supra meminimus, ad vlteriores Lithuaniæ, Samogitiæ, Liuoniæq; oras tendentibus, quæ ipsi primò ex naui descendenti obtigerat, ad ripam fluminis Dubissæ, oppidum Erraygola nuncupatum extruxit, atq; ibi circum circa agris & possessionibus sibi cum vxore, liberisq; suis assignatis, vsq; ad extremum

vitæ

vitæ suæ diem permansit. Quod idem ipsius filij, vsq; ad Vitênis tempora fecerunt. Hic prosperi Columnæ verus in pronepotibus successor, primus in Magnum Lithuaniæ Ducem, Anno millesimo ducētesimo septuagesimo nono ab vniuersis Ordinibus Lithuanicæ gentis, tùm ob suorum maiorum eminentem nobilitatem, tùm ob res domi & militiæ præclarè gestas, vnanimi consensu est electus. Auxit verò Magni huius Ducatus fines, vicinis Russiæ, Podoliæ, Podlachiæ prouincijs iugo iniecto, & ad tributa sibi pendenda compulsis. Demùm triginta annis in Imperio transactis, & à filij sui Gedimini nomine (quem vnicè dilexerat) fortissima in Prussorum finibus munitione cum propugnaculis erecta, eodem Gedimino filio in principatu successore sibi suffecto, Anno millesimo trecentesimo diem obijt extremum. Cæterùm reperiuntur quidam historici, qui asserunt Gediminum non filium Vitennis, verùm stabuli ipsius præfectum fuisse, ab eoq; ipsum Vitennem obtruncatum. Pace illorum dixerim, à veritate aberrant illi, & ex propria sententia loquuntur. Etenim præter Petrum Dusburgum, qui contemporaneus Vitennis fuit, omnes Analium Lithuaniæ scriptores omninò contrarium probant, de quibus vide Lector, si placet, Strykouium lib. 10. cap. 6. Gediminus itaq; ex veriori sententia, legitimus Vitennis Magni Lithuaniæ Ducis filius, fama insignium gestorum, & bellicæ artis longè lateq; clarus, etiam ipsi Summo Patri Apostolatus fastigium tenenti charus fuit, quod ex frequentioribus ipsius ad Gediminum legationibus factū manifestè liquet. Hic Vilnam totius Lithuaniæ Metropolim, & in ea Arcem vtramq;, superiorem in monte ab Vro nuncupato, & inferiorem in valle Swientorga dicta, anno 1305. extruxit. Idem Trokos veteres cum suo castro ædificauit. Obijt autem anno 24. Ducatus sui, in oppugnatione munitionum Fridburg & Beier. ignito globo à quodā Crucigero traiectus. anno 1325, filijs septem, filiabus duabus relictis, quos hic enumerare libuit, vt tantò plenior atq; commodior ad Sancti Casimiri prosapiam fiat descensus.

Cromerus lib. 14. circa finē Guagninus in Vitenne.

Gedimini filij.

1. Monuidus *Dominus Kiernowiæ & Slonimi.*

2. Narimundus *Dominus Pinsci, cuius vxoris nomē ignoratur. Filius Georgius.*

3. Olgerdus *duplici insignis principatu, vno Krewæ à patre, altero Russiæ ab vxore. fratre suo Iawnuto Vilna eiecto, Dux Magnus Lithuaniæ factus, cum fortunatissimè ei dominando præesset, Demetrij Moschorum Ducis potentia sua elati, superbeq; (si Vilna cedere nollet,) bellum minitantis, vires fregit. Nam cùm is, per suos legatos, elapso vno mense, sub tempus Paschatis, igne & ferro se ditiones Olgerdi vastaturum denunciaret, per eosdem legatos, ad ipsorū Ducem, fomitem accensum Olgerdus misit, pollicens aduolaturum se in Moschouiam, Arciq; eius hastam illisurum, priusquam fomes ille extingueretur. Atq; ita prorsus accidit. Collecto confestim exercitu, in Moschouiam properè cōtendit, euocatoq; ad se Tyranno, in eius conspectu hastam ad Arcem fregit, ipsummet ad pacis conditiones, fœdusq; poscendum adegit. Plurimis item alijs præclarè actis in patria rebus, An. Dñi 1381. mortuus est. Huic Maria Twerensium Ducis filia in matrimonium locata, duodecim ei filios, duasq; filias procreauit.*

4. Iawnutus *dominus Vilnæ, vnde à fratribus exturbatus ducatu Zaslauiensi est potitus.*

5. Kieystutus *Trokorū dominus, captus à Iagellone nepote ex fratre, occiditur in carcere Anno 1382.*

6. Korynthus *vel* Koryatus *Dominus Nowogrodi, vxoris nomē ignoratur, Filij*
   - *Alexander dux Wladimiriæ.*
   - *Georgius.*
   - *Theodorus.*

7. Lubardus *à patre nihil acceperat; sed ex vxore Dux erat Leopoliensis, & Wladimiriensis.*

Filiæ eiusdem Gedimini.
- *Anna vxor Casimiri Regis Poloniæ; anno 1325.*
- *Elizabetha vxor Venceslai Ducis Plocensis in Masouia.*

Olgerdi liberi.

1. IAGELLO, *qui successit Patri Magno Ducatu Lithuaniæ anno 1381. Factus Rex Poloniæ an. 1386. de eo vide plura inferius.*

2. Skirgellus *Plocensis, postea totius Lithuaniæ Dux. Verùm hoc ducatu patrueli suo Witoldo concesso*

concesso

concesso, ipse Dux Kijowiensis Starodubi factus, veneno est sublatus. Anno 1395.

3. Switrigellus, qui alio in Baptismo, Boleslai videlicet insignitus nomine, Lithuaniæ (post Witoldum patruelem) an. 1430. præfuit, expulsusque iterum anno 1431. suffocatus est, an. 1452.

4. Borissus.

5. Koributus Dux Hussitarum. Hic in Bohemia occisus est anno 1435.

6. Viguntus, post in Baptismo Alexander dictus. Hic fuit Dux Bydgostiæ & Inowladislawiæ. sine liberis decessit. Vxorē Wladislai Opoliensium Ducis filiam habuit.

7 Korigalus, postea Casimirus dictus. Hic capite plexus est ab hoste Anno 1390.

8 Norimuntus qui strāgulatus est à Crucigeris Anno 1390.

9 Languinus.

10 Lubartus.

11 Andreas.

12 Buthauus.

1 Maria vxor Woydilonis.

2 Alexandra, vxor Semouiti Ducis Masouiæ.

Kieystuti liberi.

1. N. Filia vxor Andreæ Ioannis Ducis Kiiowien. mater Mariæ Reginæ Poloniæ vxoris Iagellonis.

2. Witoldus, post baptismum Alexandri nomen nactus, in Lithuania summa rerum, Magnique eius Ducatus titulo (beneficio patruelis Iagellonis Regis) potitus, toto vitæ suæ tempore, nonmodo vigilantissimè tuendo, verumetiam studiosissimè propugnando fines patriæ, fideliter se gessit. Frequentissimè enim fusis Moschorum, Crucigerorum, Tartarorum, aliorumque sui dominatus hostium agminibus, onustus spolijs, multorum millium captiuas ducens hostium phalanges, domum est reuersus. Ille cum Tamerlane (qui adeò sui nominis terrore totum penè orbem compleuerat, & duodecies centena millia hominū in suo exercitu habens, Turcas profligauit, & Imperatorem eorum Baiazetum inclusum in ferreā caueam, aureis vinctum catenis, per totam Asiam circumuexit) animosè congredi non expauit. Quo cum potentissimè præliando ipsius militum ducenta milia cecidit. Equidem semper Dux hic præclarissimus Deum sibi propitium habuisse videtur. Et meritò certè. Nam quotiescunque bellum gesturus cum exercitu

xercitu in aciem prodijt, toties pro Religione Christiana, & pro felici Ecclesiæ statu votis conceptis Diuino numini fidem suam obligabat. Quapropter Vilnæ, Trokis tam nouis, quàm antiquis, deniq; in alijs quàm plurimis locis, multa Templa sumptu munifico condidit, & reditibus amplissimis eadem liberalissimè ditauit. Sic tandem optimè de Religione, optimè de Patria meritus 81. ætatis suæ anno, Salutis verò reparatæ, Anno 1430. extremum vitæ diem clausit. Cuius memoria sit in benedictionibus. Quoad vixit, nihil aliud præter frigidam bibere solitus, & in victu temperans, frugalitatis, ac parsimoniæ posteris documenta reliquit.

Vxores eius.
1. Anna ex qua filiam Anastasiam, postea Sophiam dictam, vxorem Basilij Ducis Moschouiæ suscepit.
2. Iuliana prioris coniugis matertera, quæ sine liberis decessit.

3. Patricius.
4. Totiuilus.
5. Sigismundus Starodubensium, postea totius Lithu. Dux. Vxoris nomè ignoratur. Filius Michäel ex Ducatu Lithu. eiectus, eius vxor, Agathia Filia Boleslai Masouii, vel vt aliis placet, Anna filia Zemouiti Masowii, nisi duæ fuerint vxores.
6. Voydatus.
7. Anna vxor Ioannis Ducis Masowiæ.
8. Ringala vxor Henrici Ducis Masowiæ, aliis placet, filiam Vitoldi fuisse.

IAGELLO filius Olgerdi Gedimini nepos Ducum Lithuaniæ, assumptis post patrem administrandæ Reipub. Lithuanæ gubernaculis, dum in officio cum omnium approbatione, sese gereret, & multis heroicis virtutibus, in dies clarior euaderet, à Polonis in Regem Poloniæ electus, post sacrum fontem, & fidei Christianæ rudimenta percepta Anno D. 1386. decima quarta Februarii, solenni ritu, cum Hedwigi vnica Regni hærede, Ludouici Hungariæ, & Poloniæ Regis filia, matrimonium contraxit, Regniq; habenas felicissimè moderari cepit. Primus is Magnus Lithuaniæ Dux IAGELLO post Baptism.ũ Wladislaus dictus, populum Lithuaniæ non hortando solùm, & præmiis alliciendo, verùm etiam do-

tendo, ad Religionem Catholicam perduxit. Quo etiam authore Vilnæ Cathedralis Ecclesia erecta & fundata, cum suo Præsule & Canonicis manet. Ille quoque plurimas alias in diuersis Prouinciis Lithuaniæ Ecclesias Parochiales (præficiens illis bonos pastores) extruxit, atque possessionibus locupletauit. Ille Academiam Cracouiensem constituit: eique prouidit: ex qua in hodiernum diem, tanquam ex equo Troiano strenuos milites, viros doctissimos & Athletas potentissimos, contra insulsam hæreticorum turbam prodire luce meridiana clarius est. Ille in prælijs semper felix, amans patriæ, ciuium patronus, in Mystas Dei & sacra Templa plenus meritorum, plenus & dierum, senio confectus, Anno regni sui 49. Rex diuus in Domino obdormiuit. Anno salutis reparatæ 1434. prid. Calend. Iunii sepultus quiescit.

Vxores Iagellonis Regis Poloniæ, filij & filiæ.

I. Heduigis filia minima natu Ludouici Regis, desponsata à patre Wilhelmo Austrio, sed elocata à Polonis Iagelloni Lithuano, Regnum in nouam familiam transfert. Coronata cùm virgo esset anno 1382. nubit Iagelloni anno 1389. Moritur 1399. XII. die Iulii. Ex ea filia Elizabeth Bonifacia nata, statim est mortua anno 1399.

II. Anna Wilhelmi Ciliæ Comitis filia, Casimiri Poloniæ Regis neptis, ducta in matrimonium Anno 1402. Moritur anno 1416. Eius filia Heduigis sponsa fuit Friderici, filii Friderici Marchionis Brandeburgensis. Moritur antè nuptias & iustam ætatem anno 1431.

III. Elizabetha ex Pilecensium familia, Othonis Palatini Sendomirien. filia, vetula quarto iam nupta, moritur anno 1419. coniugii anno tertio sine liberis.

IV. Scöza filia Andreæ Ioannis Kiiouien. Ducis ex matre sorore Vitoldi, quæ de nouo baptizata Mariæ nomen accepit, ducta anno 1422. coronata an. 1434. moritur anno 1461. Ex ea nati sunt.

1. Elizabeta vxor Henrici Stolpensium in Pomerania Ducis.

2. Wladislaus natus an. 1424. prid. Calend. Nouemb. succedit Patri in Regno Poloniæ, suscepta corona anno 1434. vocatus ad Regnum Vngaricum an. 1439. Coronatur anno 1440. XVI. Calēd. Augu. Deinde strenuè cum exiguis copiis cōtra Amurathem Turcarum Imperatorem pugnando occiditur ad Varnam anno 1444. 10. die Nouemb. Nec reperiri

viri vſquam potuit. Agebat autem tūc 21. ætatis annum.

2. Caſimirus natus an. 1426. die 26. Maii, moritur an. 1427. II. Martii.

3. Caſimirus alter, vel Andreas Caſimirus natus anno 1427. III. Decēnb. Electus Bohemiæ Rex an. 1437. ſed non admiſſus, iterum præficitur Lithuaniæ anno 1440. cum poſt fratrem ad Regnum Poloniæ adſciſceretur an. 1445. diu tergiuerſatus tandem cum Boleſlaus Maſouius contra illum Rex anno 1446. declaratus eſſet, venit in Poloniam anno 1447. & Rex impoſita corona pronunciatur XXVI. die Iunii præclarus bellator. Moritur anno 1492. VII. Iulii, ſepultus Cracouiæ cū vixiſſet annos 64. regnaſſet 45. Eius vxor Elizabetha filia Alberti Auſtrii Regis Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ. Nuptiæ peractæ ſunt anno 1456. VI. Decemb. Ipſa viuere deſiit anno 1505. III. Kalend. Auguſti.

Caſimiri Andreæ Regis Poloniæ ex vxore Elizabetha Auſtriaca liberi.

1. Wladiſlaus natus anno 1456. kal. Martii, poſt horam noctis tertiam, electus Rex Bohemiæ 25. Maii, & coronatus in Aug. Anno 1471. Rex Vngariæ an. 1490. XI. Calēd. Octob. moritur an. 1516. XIII. Martii. Eius

Vxor Anna filia Dñi de Candalla Vaſconis in Gallia nuptiæ celebratæ ā. 1502 XXIX. Sept. moritur 1506 XXVI. Iulii. Liberi.

Anna cum priùs Elizabetha diceretur nata anno 1503. die XXIII. Iulii vxor Ferdinandi Imperatoris an. 1521. moritur anno 1547.

Ludouicus natus anno 1506. Calendis Maii paulò ante meridiem coronatus in Vngaria an. 1508. IV. Iunii. Sed in Bohemia an. 1509. XI. Martii moritur in pugna Mohaziana ſubmerſus in aquis Anno 1526. IV. Cal. Sept. Eius vxor Maria Philippi Auſtrii Regis Hiſpaniæ filia, ſoror Caroli V. Imperatoris.

2. Heduigis nata anno 1457. XXVI. Septemb. vxor Georgii Ducis Bauariæ.

3. CASIMIRVS de quo in præſenti agitur, anno 1458. III. Octob. natus, moritur amore caſtitatis anno 1483. IV. Martii. Sanctiſſimus adoleſcens, qui poſtea ob innumera miracula à Leone X. Pont. Max. in numerum Sanctorum eſt relatus; quæ canonizatio à SS. D. Clemente Papa VIII. anno 1602.

1602. declaratur, & eius festum duplici officio IV. Martii celebrari iubetur. De quo supra late est dictum.

4. Ioannes Albertus natus anno 1460. XXVII. Decemb. electus Rex Hungariæ, anno 1490. contra fratrem, sed exclusus redit in Poloniam, factus Dux Glogouiæ & Zegnani in Silesia: adeptus Regnum Poloniæ anno 1492. XXVII. Augusti, coronatus XXIII. Septemb. moritur apoplexia sine vxore, anno 1501. XVII. Iunii, cum vixisset annos 41. Menses 5. dies XXI. regnasset annos 8, menses VIII. dies XXIII.

5. Alexander natus anno 1462. V. Augusti magnus Lithuaniæ Dux statim à patris obitu à Lithuanis pronunciatus, succedit tandem fratri in Regno Poloniæ an. 1501. Eius vxor Helena, filia Ioannis Ducis Masouiæ, moritur anno 1513. ipse verò cùm aliàs semper victor de quolibet hoste extitisset, tum in ipso articulo mortis, sub Klecko in Lithuania 20000. Tartarorum cæsis, gratiisq; Deo peractis pro parta de barbaro victoria an. Dñi 1506. Augusti die 19. Vilnæ mortuus, ibidemq; sepultus est.

6. Sophia nata 1364. VI. Maii, vxor Friderici Marchionis Brandeburgici.

7. Elizabetha nata anno 1465. III. Maij, moritur anno 1467.

8. SIGISMVNDVS primus Rex Poloniæ de quo vide infra.

9. Fridericus natus 1568. XXVII. Aprilis, Cardinalis Tit: S. Luciæ, Archiepiscopus Gneznen: & Episcopus Cracouiensis, an. 1503.

10. Elizabetha altera nata an. 1472. XIII. Maii, moritur in pueritia.

11. Anna nata anno 1476. XII. Martii, vxor Boguslai Ducis Stolpensis & Stetinensis in Pomerania.

12. Barbara nata anno 1478. XV. Iulij. vxor Georgij Ducis Saxoniæ & Marchionis Misniæ.

Sigismundus primus Poloniæ Rex, natus Anno 1467. Calend. Ianuarij. Ducatu Glogouieñ. & Opauieñ. beneficio fratris Ioannis Alberti potitus, deinde post mortem fratris Alexandri Magni Ducis Lith. & Regis Poloniæ anno 1506. in Magnum Ducem Lithu. & Regem Poloniæ electus, diademate Regni, anno 1507. insignitus est VIII. Decemb. vigilantissimus atq; prudentissi-

dentissimus administrator Reipub. à Maximiliano Romanorum Rege ac plerisq; Principibus Christianis verus pater Patriæ appellari meruit, de cuius gestis vide Strykou. lib. 23. Cromeri & Orzechouij orationem funebrem. Obijt anno Dñi 1548. Cal. April. feliciter annis [illegible] ætatis suæ consummatis Gracouiæ, ibiq; tumulatus est. Vxores eius

1. *Barbara Stephani Comitis Scepusiani Palatini Trasyluaniæ filia, ex matre Hedwiga Ducissa Teschinensi, soror Ioannis Regis Vngariæ, ducta an. 1512. moritur anno 1515. 11. Octobr. Eius duæ filiæ: Hedwiga nata Posnaniæ XXV. Martii, an. 1513. vxor Ioachimi Marchionis Brādeburgici Electoris. & Anna nata an. 1515. 2. Iulii.*

2. *Bona Sfortia Ioānis Galeacii Ducis Mediolanensis, & Isabellæ Arragoniæ Reginæ Neapolitanæ filia. Ex ea liberi.*

- 1. *Isabella vxor Ioannis Palatini Transyluaniæ, Regis Vngariæ, mater Ioannis secundi.*
- 2. *Sophia vxor Henrici iunioris Ducis Brunsuicensis.*
- 3. *Catharina vxor Ioannis Ducis Finlandiæ, post Suecorū, Gottorum, Vandalorūq; Regis, Ex ea nati sunt.*
    - 1. SIGISMVNDVS III. *Dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithuaniæ, natus an. Dñi 1566. 20. Iunii, Gripsholmiæ in Suecia.*
    - 2. *Elizabetha, seu Isabella, infans Sueciæ sepulta Stregnesii.*
    - 3. *Anna infans Sueciæ, nata 1568. Eskilstunæ.*
- 4. Sigismundus Augustus *natus anno 1520. IV. Non. Augusti ante meridiem adscitus à patre ad Regni consortium & coronatus anno 1530. Rex affluens splendore & pompa, domi ordinatissimus paterfamilias, in throno, Regiæ respondens maiestati, bellum gerit cum Moscho, moritur sine liberis an. 1572. 23. Iulij, cùm vixisset solus post patris obitū an. XXIV. Menses VI. dies XXII. Eius* [illegible]
    - 1. *Elizabetha Ferdinandi Cæsaris filia nuptiis an. 1543. celebratis. Obiit an. 1545. XV. Iunii, sine liberis.*
    - 2. *Barbara Radziuila, sine liberis.*
    - 3. *Catharina soror primæ vxoris filia Ferdinandi Imp. vidua Francisci primi, Mantuæ Du*

5. Anna mortuo fratre & deserto Regno ab | cis, ducta anno 1553. Henrico Gallo virgo adhuc, sed prouecta ætate | pridie Calend. Augusti, nubit Stephano Bathorio anno 1576. quem ex | moritur sine liberis. hoc coniugio Regem facit, imperantem verè, & regnantem, strenuè bellantem & vincentem. Qui anno 1586. Decemb. 12. Grodnæ mortuus, Cracouiæ tumulatus iacet.

Serenissimus SIGISMVNDVS III. Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ &c. an. 1587. Mense Decemb. in die S. Ioannis Euangelistæ, prædictorum gubernacula Dominiorum, secundo omine assumpsit. Potentissimus bellator in omnibus prælijs, & fortunatissimus triumphator de vniuersis hostibus, per suorum Duces exercituum maximis auctus victorijs est; ijs reportatis, ex Regni æmulo sub Byczyna, ex Tartaris in Podolia, ex Naliuaykone perduelle vltra Lubnam in Russia, ex Michaële Vaiuoda rebelle in Valachia, & in Liuonia in omnibus cōflictibus suorū, ex periuris & sceleratis suis subditis. Christianæ religionis zelosissimus promotor, Ecclesiarum Dei studiosissimus protector etiam nunc Regni sui, hostibus formidabilis, prosperè regit habenas. Interim an. 1594. Mense Martij hæreditariorum Sueciæ, Gothiæ, Vandaliæ Regnorū, mortuo patre, vniuerso acclamante populo, corona donatus. Coniunx Anna Austriaca Styr. Archiduc. Caroli filia, an. 1592. in solennitate SS. Trinitatis iuncta connubio, susceptis quinq; pignoribus religiosissima mulier anno 1598. 10. Feb. vitam finiuit, Cracouiæ requiescit. Liberi ex ea.

1. Anna Maria Cracouiæ Mense Maio an. 1593. nata, moritur in puerili ætate, anno 1599. 10. Feb.

2. Catharina Stocholmiæ an. 1594. Mense Iunij in lucem edita, ibidē in Suecia obiit, Czestochouiæ sepulta est.

3. VLADISLAVS PRINCEPS Poloniæ Lithuaniæq; anno 1595. Iunii 5. die oritur optimæ indolis, generosissimi animi, dignus sanè Rege filius: qui quàm diutissimè incolumis viuat.

4. Catharina altera Varsauiæ anno 1597. in lucem edita, non multò post defuncta terrenum patris Regnum cum cælesti commutauit.

5. Christophorus posthumus, qui arte medicorum, post obitum matris, ad vitam euocatus sacro lustratus baptismo, piam parentem secutus est.

DE AMPLISSIMA COlumnarum propagine.

Magnum erat, o Litaui, vos à domitoribus orbis,
A Romæ Dominis ortum habuiſſe Gothis:
Maius Romulidas vos nobilitaſſe Columnas,
Quorum ſceptra ſolum ſuſpicit auſa polus.
Nata & nota Noto prius hæc ſtirps, fulget in Arcto,
Regnorum & fulcit non ruitura thronos.
Euge Columnigerûm firmamine fulta propago,
Stas, per eoſq; tuus ſidera prænſat apex.

AD SERENISSᵐ PRINCIpem ac Dominum D. VLADISLAVM, inuictiſſimi Poloniæ Sueconiæq; Regis SIGISMVNDI III. Filium.

WLADISLAE, Sigiſmundi Patris aurea proles,
Quem penes imperium eſt orbis Hyperborei,
Pagina te alloquitur ſuprema, vt prima Parentem.
Creſce Iagelloniæ ſpes generoſa domus:
Creſce tuo generi, regnis & creſce patritis,
Qui trahis à ſumma ſtirpe ſatuq; genus.

Si patri-

Si patrium ſpectes, genus eſt illuſtre Gothorum,
Orbem qui cunctum armis, qui domuere ſuis;
Alterum Dominis à Regnatoribus orbis
Eſt tibi maternum Cæſareaq; domo.
Si proauos vtriuſq; domus vtriuſq; parentis
Aſpicias, maius quid reperire queas?
Stirpe Iagellonia, cui Proſper origo COLVMNA,
Stirpe quid Auſtriaca maius in orbe dabis?
Rexq; PHILIPPVS liber, tua cui matertera coniunx,
Se iactat Gothica nobilitate ſatum.
Hæc tibi laus eadem. Laus maior origine Diuûm
Te genitum, Agnatos Cælicolas quot habes?
Rex tibi CANVTVS tibi ſanguinis author ERICVS,
Hic Sueones, Cimbros rexerat ille ſuos.
Pro pietate libens effudit vterq; cruorem.
Quin tibi dat patrium Diua BRIGITTA genus?
Propatruuſq; tuus meritis decor additus aſtris,
Quem liber hic celebrat, Dux CASIMIRVS erat.
Diua erat ipſa parens, auia ipſa ſimillima Diuis;
Æmulus eſt Diuis Relligione Pater.
Macte tot auſpicijs, ſoboles certiſsima Diuûm,
En tot es agnatos nactus in aſtra Duces,
Grande quid, hîc ſolium titulo virtutis apiſci?
Grandius, empyreos hoc adijſſe thronos.

Contenta hoc opusculo.

Menda operarum emenda.

In titulo generali, pro V. Id. lege VI. Id. Pagina 3. v. 23. pro cruciatum l. cruciatuum, p. 6. v. 19. vitam nescire, adde quam illam qui est vera vita sperantibus in se Christũ Iesum D. N. cum integritatis palma in cælum euolare, Pag. 10. v. 21. pro memoriæ, lege memoria, pag. 20. v. 10. pro VII. Idus, lege VI. pag. 21. v. 3. pro indigetum, lege indigenarũ, p. 11. v. 31. pro Anna l. D. Catharina Tęczynska, p. 14. v. 17. pro nauigij l. nauigijs, p. 18. v. 33. visa est, adde lux, p. 46. v. 9. pro admissuri exactorum, lege admissorum exacturi, p. 31. v. 1. pro Hinc ortus, l. Ortus hinc, pa. 80. v. 26. pro manere, lege manare, pa. 83. v. 6. pro qua tu, lege quæ tu, ibid. v. 38. in recusæ lineæ, adde speciem, pag. 121. v. 23. pro colloquentur, l. colloquuntur. p. 99. v. 6. Bo go bylá, l. By go bylá.

In Theatridio.

Pag. 6. v. 1 pro exesto, lege exeste, pag. 7. v. 22. pro hic est, lege his est, pag. 16. v. 12. pro peruigil, lege sui vigil, pag. 19. v. 16. pro dirus amor, lege dius amor, pag. 28. v. 17. pro trapeta, lege trapeza, pag. 6. v. 8. pro uiuit, l. iuuit; p. 24. v. 7. pro Hostili, l. Hastili, p. 37. v. 19. pro annosum; l. annosam, p. 38. v. 23. pro dicere, l. ducere vitam, p. 31. v. 13. pro orei l. ore, p. 56. v. 5. pro non, l. ne temnite, p. 42. v. 14. pro decorat, l. decoras, p. 63. v. 2. pro pererent, l. pererret, p. 66. v. 1. pro raparare, l. reparare, ibid. v. 27 pro Rex, l. res Polonorum. Minutiora facilè catus Lector agnoscet ignoturus.

Laus DEO Opt. Max. Dei matri, S. Casimiro, omnibusq; Sanctis.

Hic Liber

R. Casimiri Szczepański

Curatus Zagostensis

perlectus 1845. anno

18

1676

Ex l.

Collegy Grac. S.J. ad SS. P. & P.